

Visual Library Portal


Inhouse-Digitalisierung


Spinozae systema philosophicum adumbratum

Thomas, Carolus

Regimontii Borussorum, [ca. 1835]

urn:nbn:de:s2w-3118





L.

12446
2279

SPINOZAE
SYSTEMA PHILOSOPHICUM
ADUMBRATUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
ORDINIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS THOMAS

REGIMONTANUS.

REGIMONTII BORUSSORUM.

IMPRESSIT CONRADUS PASCHKE.

1835.

1

SPINOZAE

SYSTEMA PHILOSOPHICUM
ADUMBRATUM

DISSERTATIO IN LAUDIBUS

AUCTORITATE ABBATIS
RUDOLPHI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTA
ORDINIS

AD SCABIOS IN PHILOSOPHIA HONORES
ABDISCENDOS

SCRIPTIT

CAROLUS THOMAS

RESPONDENS

1702

RECTORUM BORSSORUM

THEOPHILUS GONNARDUS

Summarium.

Spinozae systematis philosophici expositio.

C a p u t p r i m u m.

Scientia intuitiva.

§. 1.

Scientia intuitiva.

C a p u t s e c u n d u m.

Doctrina de rebus singularibus phi-
losophica.

§. 2.

Introductio in doctrinam de rebus singularibus.

8

§. 3.

Rerum extensarum theoria.

§. 4.

Rerum cogitantium theoria.

C a p u t t e r t i u m.

Doctrina de mente humana.

Psychologiae pars prima.

De mentis humanae perceptionibus.

§. 5.

De ratione, quae inter mentem humanam et
corpus intercedit.

§. 6.

De tribus percipiendi generibus.

§. 7.

De Imaginatione.

§. 8.

De Ratione.

§. 9.

De Intellectu.

§. 10.

De humanae cogitationis cum divina nexu.

§. 11.

De harmonia, quae inter cogitationes humanas
et res externas obtinet.

Psychologiae pars altera.

De affectibus mentis humanae.

§. 12.

De affectuum definitione et divisione.

§. 13.

De affectuum viribus.

§. 14.

De hominis virtute.

§. 15.

De morte et de mentis parte aeterna.

C a p u t q u a r t u m.

De iure doctrina philosophica.

§. 16.

De iure naturali.

§. 17.

De origine Imperii sive status civilis.

§. 18.

De iure potestatis summae contra cives.

§. 19.

De iure civium privato.

§. 20.

De iure publico, quo civitates inter se
tenentur.

S p i n o z a e
systematis philosophici expositio.

C a p u t p r i m u m .

Scientia intuitiva ¹⁾).

§. 1.

Scientia intuitiva.

Scientia intuitiva exponit naturam eius, quod omnium rerum causa re vera et necessario existens cognoscitur, sive Substantiae. Omnium

1) Eth. II. Prop. 40. Schol. 2. Praeter haec duo cognitionis genera datur, ut in sequentibus ostendam, aliud tertium, quod scientiam intuitivam vocabimus. Atque hoc cognoscendi genus procedit ab adaequata idea essentiae formalis quorundam Dei attributorum ad adaequatam cognitionem essentiae rerum.

rerum causa unica est unus ²⁾ Deus. Substantia igitur propterea quod unica existit immensa ³⁾ est, propterea quod necessario existit, aeterna ⁴⁾ est et indivisibilis ⁵⁾ et immutabilis ^{6.7)}. Deus

- 2) Cog. Met. II. Cap. 2. cum tamen iam demonstravimus Deum ens perfectissimum esse, ipsumque existere. Unde iam possumus concludere eum unicum tantum existere, si enim plures existerent, sequeretur, ens perfectissimum habere imperfectionem, quod est absurdum.
- 3) Cog. Met. II. C. 3. Immensitas vero Deo respective tribuitur: non enim pertinet ad Deum, quatenus absolute tanquam ens perfectissimum, sed quatenus ut prima causa consideratur, quae, quamvis non esset perfectissima, nisi respectu entium secundariorum, nihilominus tamen esset immensa. Nam nullum esset ens, et per consequens nullum posset ens concipi ipso perfectius, quo terminari aut mensurari possit.
- 4) Eth. I. Df. 8. Per aeternitatem intelligo ipsam existentiam, quatenus ex sola rei aeternae definitione necessario sequi concipitur.
- 5) Eth. I. Prop. 13. Substantia absolute infinita est indivisibilis. Dem. Si enim divisibilis esset, partes, in quas divideretur, vel naturam substantiae absolutae retinebunt, vel non; si primum, dabuntur ergo plures substantiae ejusdem naturae, quod est absurdum. Si secundum ponatur, ergo poterit substantia absolute infinita desinere esse, quod est absurdum.
- 6) Eth. I. Prop. 20 Coroll II. 20. Sequitur II. Deum, sive omnia Dei attributa esse immutabilia. Nam si ratione existentiae mutarentur, deberent etiam ratione essentiae mutari, hoc est: (ut per se notum) ex veris falsa fieri, quod est absurdum. —
- 7) Epp. XL. Opp. Posth. 521. Rem ergo ut aggrediamur, in antecessum breviter ostendam, quas proprietates Ens necessariam includens existentiam habere debeat: nimirum.

prorro ens perfectissimum^{8.9.10)} est, sive ens infinito perfectionum numero constans. Substan-

-
- I. Id esse aeternum: si enim determinata duratio ei attribueretur, ens istud, extra determinatam durationem ut non existens, vel ut necessariam non involvens existentiam conciperetur, quod definitioni suae repugnat.
- II. Id simplex, non vero ex partibus compositum esse. Partes namque componentes natura et cognitione priores sint oportet, quam id quod compositum est, quod in eo, quod sua natura aeternum est, locum non habet.
- III. Id non determinatum, sed solum infinitum posse concipi. Quippe si istius Entis natura determinata esset, et etiam determinata conciperetur, illa natura extra eos terminos ut non existens conciperetur, quod cum definitione sua quoque pugnat.
- IV. Id indivisibile esse. Si enim esset divisibile, in partes vel eiusdem, vel diversae naturae dividi posset; si hoc, destrui et ita non existere posset, quod definitioni adversum est. Et si illud: pars quaelibet necessariam per se existentiam includeret, et hoc pacto unum sine alio existere et per consequens concipi, ac propterea illa Natura ut finita, comprehendi posset, quod per antecedens definitioni adversatur.
- V. Id omne, quod necessariam includit existentiam, nullam, in se habere posse imperfectionem; sed meram debere exprimere perfectionem.
- VI. Porro, quoniam non nisi ex perfectione provenire potest, ut aliquod Ens sua sufficientia et vi existat, sequitur, si supponamus, Ens, quod non omnes exprimit perfectiones, sua natura existere, etiam nos debere supponere, illud quoque Ens existere, quod omnes comprehendit in se perfectiones. Si enim minori potentia praeditum sua sufficientia, quanto magis aliud maiori potentia praeditum existit.

tia igitur est absolute infinita. Omnium perfectionum causa est Substantiae potentia, sive essentia actuosa.^{11.12)} Per hanc agendi potentiam Substantia est causa prima eaque libera^{13.14.15)}

Ut denique ad rem accedamus, affirmo, non nisi unicum posse ens esse, cuius existentia ad suam naturam pertinet, illud nimirum ens tantum, quod omnes in se habet perfectiones, quodque Deum nominabo.

- 8) Eth I Prop II. Schol.... adeoque de nullius rei existentia certiores esse possumus quam de existentia Eutis absolute infiniti, seu perfecti, hoc est Dei.
- 9) Eth. I Df. VI. Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimit.
- 10) Cog. Met. II. Cap. 3. Docuimus autem nullum ens posse concipi finitum et imperfectum, id est, de nihilo participans, nisi prius ad ens perfectum et infinitum attendamus, hoc est, ad Deum; quare solus Deus dicendus absolute infinitus, nimirum, quatenus reperimus ipsum revera constare infinita perfectione.
- 11) Eth I. Prop. 34. Dei potentia est ipsa ipsius essentia.
- 12) Eth II. Schol ad Prop. 3. Ostendimus, Dei potentiam nihil esse praeterquam Dei actuosam essentiam, adeoque tam nobis impossibile est concipere Deum non agere, quam Deum non esse.
- 13) Eth I. Df. 7. Ea res libera dicetur, quae ex sola suae naturae necisitate existit, et a se sola ad agendum determinatur. Necessaria autem, vel potius coacta, quae ab alio determinatur ad existendum et operandum certa ac determinata ratione.
- 14) Eth I. Coroll. 3. Prop. 16. Sequitur III. Deum esse absolute causam primam.
- 15) Eth. I. Prop. 17. Cor. Sequitur II. solum esse causam liberam. Deus enim solus ex sola suae naturae ne-

et sui¹⁶⁾ et omnium, quae ex necessitate naturae eius sequuntur. Sequuntur autem ex substantiae necessitate infinita infinitis modis,^{17.18)} quae omnia infinita (immensa) aeterna,^{19.20)} indivisibilia,^{21.22)} immutabilia²³⁾ sunt sicuti Sub-

cessitate existit, et ex sola suae naturae necessitate agit, adeoque solus est causa libera.

- 16) Eth. I. Prop. 11. Schol. Contra, 'quicquid substantia perfectionis habet, nulli causae externae debetur; quare eius etiam existentia ex sola eius natura sequi debet, quae proinde nihil aliud est, quam eius essentia.
- 17) Eth. I. Prop. 16. Ex necessitate divinae naturae infinita infinitis modis, hoc est, omnia, quae sub intellectum infinitum cadere possunt, sequi debent.
- 18) Eth. I. Dff. VI. Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimit.
- 19) Eth. I. Prop. 21. Omnia, quae ex absoluta natura alicuius attributi Dei sequuntur, semper et infinita existere debuerunt, sive per idem attributum aeterna et infinita sunt.
- 20) Eth. I. Prop. 22. Quicquid ex alio Dei attributo, quatenus modificatum est tali modificatione, quae et necessario et infinita per idem existit, sequitur, debet quoque et necessario et infinitum existere.
- 21) Eth. I. Prop. 20. Nullum substantiae attributum potest vere concipi, ex quo sequatur, substantiam posse dividi.
- 22) Eth. I. Prop. 15. Schol. pag. 15. Nam substantiam corpoream, quae non nisi infinita, non nisi unica, non nisi indivisibilis potest concipi, eam ipsi ad concludendum, eandem esse finitam, ex partibus finitis conflari et multiplicem esse et divisibilem concipiunt. Sic etiam alii, postquam fingunt lineam ex punctis com-

stantia ipsa. Harum rerum immensarum, aeternarum, indivisibilium, immutabilium complexus Natura naturans est, sive Deus. ²⁴⁾

poni, multa sciunt invenire argumenta, quibus ostendant lineam non posse in infinitum dividi; et profecto non minus absurdum est ponere, quod substantia corporea ex corporibus sive partibus componatur, quam quod corpus ex superficiebus, superficies ex lineis, lineae denique ex punctis componantur. Atque hoc omnes, qui claram rationem infallibilem esse sciunt, fateri debent, et in primis ii, qui negant, dari vacuum. Nam si substantia corporea ita posset dividi, ut eius partes realiter distinctae essent; cur ergo una pars non posset annihilari manentibus reliquis, ut antea inter se connexis? et cur omnes ita aptari debent, ne detur vacuum? Sane rerum quae realiter ab invicem distinctae sunt, una sine alia esse et in suo statu manere potest. Cum igitur vacuum in natura non datur, sed omnes partes ita concurrere debent, ne detur vacuum, sequitur hinc etiam, easdem non posse realiter distingui, hoc est substantiam corpoream, quatenus substantia est, non posse dividi,

- 23) Eth. I. Prop. 20. Cor. II. Sequitur II. Deum sive omnia Dei attributa esse immutabilia. Nam si ratione existentiae mutarentur, deberent etiam ratione essentiae mutari, hoc est, (ut per se notum) ex veris falsa fieri; quod est absurdum.
- 24) Eth. I. Prop. 29. Schol. Antequam ulterius pergam, hic, quid nobis per Naturam naturantem et quid per naturam naturatam, intelligendum sit, explicare volo, vel potius monere. Nam ex antecedentibus constare existimo, nempe, quod per Naturam naturantem nobis intelligendum est id, quod in se est, et per se concipitur, sive talia substantiae attributa, quae aeternam et infinitam essentiam exprimunt, hoc est, Deus, quatenus ut causa libera consideratur.
-

Caput secundum.

Doctrina de rebus singularibus philosophica.

§. 2.

Introductio in doctrinam de rebus singularibus.

Res singulares ²⁵⁾ sunt res, quae finitae sunt et determinatam existentiam habent. Mens nullas res singulares nisi corpora et cogitandi modos sentire et percipere potest ²⁶⁾. Hinc apparet, Substantiam ab humana mente sub duobis attributis percipi, ²⁷⁾ cogitationis et extensionis. Unumquodque attributum est una aeternarum, infinitarum, (immensarum), indivisibilium, immutabilium rerum, quae infinitae ex Substantia sequuntur. Unumquodque attributum infinitis modis ex Substantia sequitur, quod, quum nihilominus

25) Eth. I. Prop. 28. Quodcumque singulare, sive quaevis res quae finita est et determinatam existentiam habet etc.

26) Eth. II. Axiom. 5. Nullas res singulares praeter corpora et cogitandi modos sentimus et percipimus.

27) Eth. I. Df. 4. Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam eiusdem essentiam constituens.

semper idem manere debeat, fieri non potest, nisi ponatur attributum realiter^{28.29)} divisum in partes, quae, nullo interiecto vacuo,³⁰⁾ suo quaeque modo sive motu, sive motus analogo determinantur.³¹⁾ Res singulares quum sint harum determinationum effectus, apparet, nullum singulare existere posse nec ad operandum determinari, nisi ad operandum et existendum determinetur ab alia re finita et determinata, quae iterum ab alia re singulari regressu infinito determinari debebat.³²⁾ Itaque, ut res singulares existerent,

28) Eth. I. Prop. 15. Schol. p. 16. Omnia inquam, in Deo sunt et omnia, quae fiunt, per solas leges infinitae Dei naturae fiunt et ex necessitate eius essentiae (ut mox ostendam) sequuntur, quare nulla ratione dici potest, Deum ab alio pati, aut substantiam extensam divina natura indignam esse, tametsi divisibilis supponatur, dummodo aeterna et infinita concedatur.

29) Cog. Met. P. I. cap. 3. multa enim sunt, quae captum nostrum excedunt, et tamen a Deo scimus facta esse, uti ex. gr. est materiae realis divisio in indefinitas particulas satis evidenter a nobis demonstrata, quamvis ignoremus, quomodo divisio illa fiat.

30) Eth. I. Prop. 15. Schol. p. 15. Cum igitur vacuum in natura non detur, sed omnes partes ita concurrere debent, ne detur vacuum; sequitur hinc etiam, easdem non posse realiter distingui, hoc est, substantiam corpoream, quatenus substantia est, non posse dividi.

31) Eth. I. Prop. 32. Cor. 2. Sequitur II. voluntatem et intellectum ad Dei naturam ita se habere ut motus et quies.

32) Eth. I. Prop. 28. Quodeunque singulare, sive quaevis res quae finita est et determinatam habet existentiam non

quaedam immediate a Deo produci debuerunt, quaedam vero, quae tamen sine Deo nec esse nec concipi possunt, mediantibus his primis. Tali modo Deus rerum immediate ab eodem productarum, uti in extensione motus et quietis³³⁾, causa proxima, rerum singularium causa remota dici potest.³⁴⁾ Hisce in rebus singularibus omnia ad

potest existere nec ad operandum determinari nisi ad existendum et operandum determinatur ab alia causa, quae etiam finita est et determinatam habet existentiam: et rursus haec causa non potest etiam existere, neque ad operandum determinari, nisi ab alia, quae etiam finita est, et determinatam habet existentiam, determinetur ad existendum et operandum, et sic in infinitum.

33) Epp. LXV. pg. 591. Quarto eorum, quae a Deo immediate producta sunt, quaeque mediante infinita quadam modificatione producantur, exempla desiderarem. Epp. LXVI. pag. 593. Denique exempla, quae petis primi generis sunt in Cogitatione intellectus absolute infinitus, in extensione motus et quietis; secundi autem facies totius universi quae quamvis infinitis modis variet, manet tamen semper eadem.

34) Eth I. Prop. 28. Schol. Cum quaedam a Deo immediate produci debuerunt, videlicet ea, quae ex absoluta eius natura necessario sequuntur, quaedam mediantibus his primis, quae tamen sine Deo nec esse nec concipi possunt; hinc sequitur I, quod Deus sit rerum immediate ab ipso productarum causa absolute proxima; non vero in suo genere, ut aiunt. Nam Dei effectus sine sua causa nec esse nec concipi possunt. Sequitur II, quod Deus non potest proprie dici causa esse remota rerum singularium, nisi forte ea de causa, ut scilicet has ab iis, quas immediate produxit, vel potius, quae ex absoluta eius natura sequuntur, distinguamus. Nam per causam remotam ta-

certo modo existendum et operandum ex necessitate divinae naturae determinantur ³⁵). Rerum singularium complexus est Natura naturata. ³⁶) Unumquodque unius Substantiae attributum per se concipi debet ³⁷) nihilo minus tamen omnia una eademque Substantia sunt, a mente humana duobus modis, sub extensione et cogitatione considerata. ³⁸)

lem intelligimus, quae cum effectu nullo modo coniuncta est. At omnia, quae sunt, in Deo sunt et a Deo ita dependent, ut sine ipso nec esse nec concipi possunt.

35) Eth I. Prop 29. In rerum natura nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate divinae naturae determinata sunt ad certo modo existendum et operandum.

36) Eth I. Prop, 29 Schol. Per Naturam naturatam autem intelligo id omne quod ex necessitate Dei naturae, sive uniuscuiusque Dei attributorum sequitur, hoc est, omnes Dei attributorum modos, quatenus considerantur ut res quae in Deo sunt et quae sine Deo nec esse nec concipi possunt.

37) Eth I. Prop. 10. Unumquodque unius Substantiae attributum per se concipi debet.

38) Eth. I. Prop. Schol. Ex his apparet, quod, quamvis Dei attributa realiter distincta concipiantur, hoc est, unum sine ope alterius, non possumus tamen inde concludere, ipsa duo entia, sive duas diversas substantias constituere; id enim est de natura substantiae, ut unumquodque attributum per se concipiatur, quandoquidem omnia, quae habet, attributa simul in ipso semper fuere, nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque realitatem, sive esse substantiae exprimit.

Rerum extensarum theoria.

Substantia sub extensionis attributo considerata est substantia ³⁹⁾ corporea, et partes, in quas nullo vacuo interiecto divisa ponitur, ⁴⁰⁾ corpora simplicissima vocantur. ^{41.42)} Omnia corpora in eo conveniunt, quod eiusdem attributi, extensionis, conceptum involvunt, et quod iam moveri iam quiescere possunt. ⁴³⁾ Corpora simplicissima nulla alia re inter se differunt nisi diversa motus ratione et celeritate. ⁴⁴⁾ Propter actualem attributi essentiam corpus quodque

39) Vide citat. 22.

40) Vide citat. 28.

41) Eth. II. pag. 56. Axiom. II. Atque haec de corporibus simplicissimis, quae scilicet solo motu et quiete, celeritate et tarditate ab invicem distinguuntur.

42) Eth. II. pag. 57. Lem. VII. Schol. Atque hucusque Individuum concepimus, quod non nisi ex corporibus, quae solo motu et quiete, celeritate et tarditate inter se distinguuntur, hoc est, quod ex corporibus simplicissimis componitur.

43) Eth. II. pag. 54. Lem. 11, Omnia corpora in quibusdam conveniunt. Dem. In his enim corpora conveniunt, quod unius ejusdemque attributi conceptum involvunt, deinde, quod jam tardius iam celerius, et absolute, iam moveri iam quiescere possunt.

44) Eth. II. pag. 53. Lem. 1. Corpora ratione motus et quietis, celeritatis et tarditatis et non ratione substantiae distinguuntur.

effectum aliquem in alia exercet. ⁴⁵⁾ Effectus iste in eo consistit, quod corporibus simplicissimis, se invicem diverso motu angentibus, singulorum motus pro natura motus, quem quodque corpus sequitur, mutatur, quod attinet ad rationem et celeritatem ⁴⁷⁾. In his motus determinationibus sequuntur corpora eam regulam, quod angulus reflectionis angulo incidentiae est aequalis ⁴⁸⁾. Quum vero corpora aliquot sim-

45) Eth. I. Prop. 36. Nihil existit, ex cuius natura aliquis effectus non sequatur. Dem. Quidquid existit, dei naturam sive essentiam certo et determinato modo exprimit, hoc est, quicquid existit, dei potentiam, quae omnium rerum causa est, certo et determinato modo exprimit, adeoque ex eo aliquis effectus sequi debet.

46) Eth. II. pag. 55. Axiom. 1. Omnes modi, quibus corpus aliquod ab alio afficitur corpore, ex natura corporis affecti et simul ex natura corporis efficientis sequuntur, ita ut unum idemque corpus diversimode moveatur, pro diversitate naturae corporum moventium, et contra, ut diversa corpora ab uno eodemque corpore diversimode moveantur.

47) Eth. II. pag. 54. Lem. 3. Corpus motum vel quiescens ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, et illud iterum ab alio, et sic in infinitum. Coroll. Hinc sequitur, corpus motum tam diu moveri, donec ab alio corpore ad quiescendum determinetur, et corpus quiescens tam diu etiam quiescere, donec ab alio ad motum determinetur.

48) Eth. II. pag. 55. Axiom II. Cum corpus motum alteri quiescenti, quod dimovere nequit, impiegit, reflectitur, ut moveri pergat, et angulus lineae motus reflectionis cum plano corporis quiescentis, cui impiegit, aequalis erit an-

plicissima a reliquis ita coerceantur, ut invicem incumbant, sive motus suos secum invicem certa quadam ratione communicent, ex corporibus simplicissimis Individua componuntur^{49. 50)} Eisdem sub conditionibus ex individuorum aliquot unione alia Individua componuntur, ita, ut ex corporum simplicissimorum unione Individua primi generis componantur, ex hisce Individua secundi generis et sic porro in infinitum oriantur⁵¹⁾. Individuum ultimi sive infiniti gene-

gulo, quem linea motus incidentiae cum eodem plano efficit

- 49) Eth. II. pag. 55. Deff. Dum corpora aliquot ejusdem aut diversae magnitudinis a reliquis ita coercentur, uti invicem incumbant, vel, si eodem, aut diversis celeritatis gradibus moventur, ut motus suos invicem certa quadam ratione communicent, illa corpora invicem unita dicemus et omnia simul unum corpus sive Individuum, quod a reliquis per hanc corporum unionem distinguitur.
- 50) Eth. II. pag. 56. Lem. IV. Dem. Id autem, quod formam Individui constituit, in corporum unione consistit.
- 51) Eth. II. pag. 57 Lem. VII. Schol. Atque hucusque individuum concepimus, quod non nisi ex corporibus, quae solo motu et quiete celeritate et tarditate inter se distinguuntur, hoc est, quod ex corporibus simplicissimis componitur. Quod si jam aliud concipiamus ex pluribus diversae naturae compositum, idem pluribus aliis modis posse affici reperiemur, ipsius nihilominus natura servata Quod si praeterea tertium Individuorum genus, ex his secundis compositum concipiamus, idem multis aliis modis affici posse reperiemus absque ulla ejus formae mutatione. Et si sic porro in infinitum pergamus, facile concipiemus, totam naturam unum esse

ris, quod omnium individuorum, sive omnium corporum simplicissimorum unione constat, Natura est, sive Deus, quatenus est res extensa⁵²). Ex ceteris rebus extensis ea Individua, quae secundum magnas superficies incumbunt, corpora dura sunt, ea, quorum partes secundum parvas superficies incumbunt, mollia, ea denique, quorum partes inter se moventur fluida sunt corpora⁵³). Individua composita multis modis affici possunt, cuiusque nihilominus natura servata^{54. 55. 56. 57. 58.}).

individuum, cujus partes, hoc est omnia corpora infinitis modis variant, absque ulla totius individui mutatione.

- 52) Eth. II. prop. 2. Extensio attributum Dei est, sive Deus est res extensa.
- 53) Eth. II. pag. 56. Axiom. III. Quo partes Individui, vel corporis compositi secundum majores vel minores superficies, sibi invicem incumbant, eo difficilius vel facilius cogi possunt, ut situm suum mutent, et consequenter, eo facilius vel difficilius effici potest, ut ipsum individuum aliam figuram induat. Atque hinc corpora, quorum partes secundum magnas superficies invicem incumbunt dura, quorum autem partes secundum parvas mollia, ea denique, quorum partes inter se moventur, fluida vocabo.
- 54) Eth. II. pag. 57. Lem. VII. Sch. His itaque videmus, qua ratione individuum compositum possit multis modis affici, ejus nihilominus natura servata.
- 55) Eth. II. pag. 56. Lem. IV. Si corporis sive individui quod ex pluribus corporibus componitur, quaedam corpora segregantur et simul totidem ejusdem naturae in eorum locum succedunt, retinebit individuum suam naturam, uti antea, absque ulla ejus formae mutatione.
- 56) Eth. II. pag. 56. Lem V. Si partes individuum componentes majores minoresve evadunt, ea tamen propor-

Rerum cogitantium theoria.

Simplicissimis extensionis modis respondent in Substantia sub cogitationis attributo considerata ideae simplicissimae.^{59.60.}) Omnes ideae in eo consentiunt, quod cogitationis conceptum involvunt. Distinguuntur inter se affirmatione et negatione,^{61. 62. 63. 64.}) quae motui et quieti in

tione, ut omnes eandem ut antea ad invicem motus et quietis rationem conservent, retinebit itidem individuum suam naturam absque ulla formae mutatione.

- 57) Eth. pag. 57. Lem. VI. Si corpora quaedam individuum componentia motum quem versus unam partem habent, aliam versus flectere cogantur, at ita, ut motus suos continuare possint, atque invicem eadem, qua antea, ratione communicare: retinebit itidem individuum suam naturam absque ulla formae mutatione.
- 58). Eth. II. pag. 57. Lem. VII. Retinet praeterea Individuum sic copositum suam naturam, sive id secundum totum moveatur, sive quiescat, sive versus hanc sive versus illam partem moveatur, dummodo unaquaeque pars motum retineat, eumque sicut antea reliquis communicet.
- 59) Eth. II. Prop. VIII. Idea rerum singularium, sive modorum non existentium ita debent comprehendi in Dei infinita idea, ac rerum singularium sive modorum essentiae formales in Dei attributis continentur.
- 60) Eth. II. Prop. 7. Schol. Sic etiam modus extensionis et idea illius modi una eademque est res, duobus modis expressa.
- 61) Eth. II. Prop. 49. Schol. pag. 88. Non vident,

extensione respondent⁶⁵). Effectus idearum consistit in eo, quod diversis simplicissimarum idearum coniunctionibus Individua cogitantia, sive rerum extensarum animae^{66. 67. 68. 69. 70}) vel men-

ideam, quatenus idea est, affirmationem aut negationem involvere.

- 62) Eth. II. Prop. 49. Coroll. Voluntas et intellectus unum et idem sunt.
- 63) Eth. II. Prop. 48. Schol. notandum, me per voluntatem affirmandi et negandi facultatem, non autem cupiditatem intelligere.
- 64) Eth. II. Prop. 49. In Mente nulla datur volitio, sive affirmatio et negatio praeter illam, quam idea quatenus idea est, involvit.
- 65) Eth. I. Prop. 32. Coroll. 2. Sequitur II. voluntatem et intellectum ad Dei naturam ita sese habere, ut motus et quies; et absolute, ut omnia naturalia, quae a Deo ad-existentium et operandum certo modo determinari debent
- 66) Eth. Prop. 13. Schol. Nam ea, quae hucusque ostendimus, admodum communia sunt, nec magis ad homines, quam ad reliqua individua pertinent, quae omnia, quamvis diversis gradibus, animata tamen sunt. . . .
- 67) Eth. III. Prop. 2. Schol. Mens et corpus una eademque res est, quae jam sub Extensionis, jam sub cogitationis attributo concipitur.
- 68) Eth. II. Prop. 11. Primum quod actuale mentis humanae esse consuit, nihil aliud est, quam idea rei alicujus singularis actu existentis.
- 69) Eth. II. Prop. 13. Objectum ideae, humanam mentem constituentis est corpus, sive certus extensionis modus actu existens.

tes componuntur, quorum Individuorum tot genera numerantur, quot in Extensione existunt. Haec Individua cogitantia omnino easdem rationes sequuntur, quam Individua extensa. Anima sive mens ultimi sive infiniti generis, quae ex omnium idearum coniunctione exoritur, Dei est mens, sive Deus, quatenus est res cogitans ^{71. 72. 73}).

70) Eth. III. Prop. 57. Schol. Vita tamen illa, qua unumquodque est contentum, et gaudium nihil aliud est, quam idea seu anima eiusdem individui.

71) Eth. V. Prop. 40. Schol. Haec sunt, quae de mente quatenus sine relatione ad corporis existentiam consideratur, ostendere constitueram. Ex quibus et simul ex prop. 26. p. I. et aliis apparet, quod mens nostra, quatenus intelligit, aeternus cogitandi modus sit, qui alio aeterno cogitandi modo determinatur, et hic iterum ab alio, et sic in infinitum, ita ut omnes simul Dei aeternum et infinitum intellectum constituent.

Caput tertium.

Psychologia humana.

Psychologiae pars prima.

De mentis humanae perceptionibus.

§. 5.

De ratione quae inter mentem humanam et corpus intercedit.

Mens humana est ea Substantiae modificatio sub cogitationis attributo considerata, quae sub extensionis attributo percepta corpus humanum appellatur⁷⁴⁾. Mentis igitur cognitio corporis cognitione colligi potest⁷⁵⁾. Corpus

72) Eth. II. Prop. 11. Coroll. Hinc sequitur mentem humanam partem esse infiniti intellectus dei.

73) Tr. d. Int. Emen. p. 380. Certum est: ideas inadaequatas ex eo tantum in nobis oriri, quod pars sumus alicujus entis cogitantis, cujus quaedam cogitationes ex toto, quaedam ex parte tantum nostram mentem constituunt.

74) vidi citat. 67.

75) Eth. II. Prop. 13. Schol. Ex his non tantum intelligimus, mentem humanam unitam esse corpori, sed etiam, quid

vero humanum ex plurimis et duris et molli-
bus et fluidis individuis valde compositis con-
stat ^{76. 77}), quorum alia ex toto alia ex parte tan-
tum eius naturam constituunt, propter partium
in eodem continuum transitum. Individua cor-
pus humanum componentia et per se ipsa et
per corpora externa plurimis modis affici et
corpora externa afficere possunt ^{78. 79. 80}). In-
dividua corpus humanum componentia praete-
rea alia ratione considerari debent, quatenus
omnibus aliquid commune est, quod aequae in-

per mentis et corporis unionem intelligendum sit. Verum
ipsum adaequate sive distincte intelligere nemo poterit,
nisi prius nostri corporis naturam adaequate cognoscat.

- 76) Eth. II. pag. 58. Post. I. Corpus humanum componitur
ex plurimis diversae naturae individuis, quorum unum-
quodque valde compositum est.
- 77) Eth. II. pag. 58. Post. II. Individuorum, ex quibus
corpus humanum componitur, quaedam fluida, quaedam
mollia et quaedam denique dura sunt.
- 78) Eth. II. pag. 58. Post. III. Individua corpus humanum
componentia, et consequenter ipsum humanum corpus a
corporibus externis plurimis modis afficitur.
- 79) Eth. II. pag. 58. Post. V. Cum corporis humani pars
fluida a corpore externo determinatur, ut in aliam mollem
saepe impingat, ejus planum mutat, et veluti quaedam
corporis externi impellentis vestigia eidem imprimit.
- 80) Eth. II. pag. 59. Post. VI. Corpus humanum potest cor-
pora externa plurimis modis movere, plurimisque modis
disponere.

toto ac in parte existens nullius rei singularis
essentiam constituit^{81. 82}).

§. 6.

De tribus percipiendi generibus.

Idae omnes in eo conveniunt, quod cogitationis conceptum involvunt. Cogitationis natura comparari potest cum historia^{83. 84}), quam ideae sibi ipsis de se ipsis faciunt, nimirum historiae naturae de Substantiae modificationibus. Omnes igitur corporum simplicissimorum motus, eorum cum aliis coniunctiones, affectiones et quae inde sequuntur, horum individuorum ideae sive mentes sciunt⁸⁵). In hac idearum natura consistit primum

81) Eth. II. Prop. 37. Id, quod omnibus commune, (de his vide supra Lem. II.) quodque aequae in parte ac in toto est, nullius rei singularis essentiam constituit.

82) vid. citat. 43.

83) Cog. Metaph. I. Cap. VI. pag. 106. Ideae enim nihil aliud sunt quam narrationes sive historiae naturae mentales.

84) Eth. II. Dff. 3. Per ideam intelligo Mentis conceptum, quem mens format propterea quod est res cogitans. Explic. Dico potius conceptum quam perceptionem, quia perceptionis nomen indicare videtur, Mentem ab obiecto pati. At conceptus actionem Mentis exprimere videtur.

85) Eth II. Prop. 12. Quicquid in obiecto ideae humanam mentem constituentis contigit, id ab humana mente debet percipi, sive eius rei dabitur in Mente necessario idea.

cognitionis genus, sive Imaginatio⁸⁶⁾. Ex eo quod omnibus corporibus aliquid commune est, secundum cognitionis genus sive Ratio exoritur⁸⁷⁾. Tertium denique cognitionis genus scientia intuitiva vocatur^{88. 89)}, et ex Intellectu originem trahit.

Hoc est, si obiectum ideae humanum corpus constituentis, sit corpus, nihil in eo corpore poterit contingere, quod a Mente non percipiatur.

86) Eth. II. Prop. 40. Schol. II. Ex omnibus supra dictis clare apparet, nos multa percipere et notiones universales formare, I. ex singularibus nobis per sensus mutilate, confuse et sine ordine ad intellectum repraesentatis. Et ideo tales perceptiones cognitionem ab experientia vaga vocare consuevi. II. Ex signis, ex gr. ex eo, quod auditis aut lectis quibusdam verbis rerum recordemus, et eorum quasdam ideas formamus similes iis, per quas res imaginamur. Utrumque hunc res contemplandi modum cognitionem primi generis, opinionem vel imaginationem in posterum vocabo.

87) Eth. II. Prop. 40. Schol. II. Denique ex eo, quod notiones communes rerumque proprietatum ideas adaequatas habemus. Atque hunc rationem et secundi generis cognitionem vocabo.

88) Eth. II. Prop. 40. Schol. II. Praeter haec duo cognitionis generat datur, ut in sequentibus ostendam, aliud tertium, quod scientiam intuitivam vocabimus. Atque hoc cognoscendi genus procedit ab adaequata idea essentiae formalis quorundam Dei attributorum ad adaequatam cognitionem essentiae rerum.

89) De Intell. Em. Tr. p. 362. ut hic resumam omnes modos percipiendi quos hucusque habui ad aliquid indubie affirmandum vel negandum, quo omnium optimum eligam, et simul meas vires, et naturam, quam perficere cupio

De Imaginatione.

Corporis humani pars fluida, quando a corpore externo ita determinatur, ut in aliam mollem saepe impingat, huius planum mutat, et veluti quaedam corporis externi impellentis vestigia eidem imprimit⁹⁰). Tunc partes fluidae a planis mutatis alio modo, quam antea solebant, reflectuntur et postea quoque iisdem novis planis spontaneo motu suo occurrentes eodem modo reflectuntur, ac si a corporibus externis versus

noscere incipiam. Si accurate attendo, possunt omnes ad quatuor potissimum reduci.

- I. Est perceptio, quam ex auditu, aut ex aliquo signo, quod vocant ad placitum, habemus.
- II. Est Perceptio quam habemus ab experientia vaga, hoc est, ab experientia, quae non determinatur ab intellectu sed tantum ita dicitur, quia casu sic occurrit, et nullum aliud habemus experimentum, quod hoc oppugnat, et ideo tanquam inconcussum apud nos manet.
- III. Est perceptio, ubi essentia rei ex alia re concluditur, sed non adaequate, quod fit, cum vel ab aliquo effectu causam colligimus, vel cum concluditur ab aliquo universali, quod semper aliqua proprietas concomitatur.
- IV. Denique perceptio est, ubi res percipitur per solam suam essentiam, vel per cognitionem suae proximae causae.

90) Eth II. pag. 58. Post. I. Cum corporis humani pars fluida a corpore externo determinatur, ut in aliam mollem, saepe impingat, eius planum mutat, et veluti quaedam corporis externi impellentis vestigia eidem imprimit.

illa plana impulsae essent, ideoque, dum sic reflexae moveri pergunt, eodem modo corpus humanum afficiunt, idque toties, quoties corporis humani partes fluidae spontaneo suo motu iisdem planis occurrunt⁹¹). Idearum igitur inadaequatarum vis non determinatur ipsis corporum simplicissimorum obiectum constituentium ideis, sed magis iis mutationibus, quas obiecta eorum provocant in iis corporibus, quae ex toto humanum corpus constituunt⁹²). Vestigiis enim corporum externorum huic vel illi humani corporis

91) Eth. II. Prop. 27. Coroll. Dem. Dum corpora externa Corporis humani partes fluidas ita determinant, ut in molliores saepe impingant, earum plana mutant, unde fit, ut inde alio modo reflectantur, quam antea solebant, et ut etiam postea iisdem novis planis spontaneo suo motu occurrendo, eodem modo reflectantur, ac cum a corporibus externis versus illa plana impulsae sunt, et consequenter, ut Corpus humanum, dum sic reflexae moveri pergunt eodem modo afficiant, de quo Mens iterum cogitabit, hoc est, Mens iterum corpus externum ut praesens contemplabitur, et hoc toties, quoties corporis humani partes fluidae spontaneo suo motu iisdem planis occurrunt. Quare, quamvis corpora externa, a quibus Corpus humanum affectum semel fuit, non existant, Mens tamen eadem toties ut praesentia contemplabitur quoties haec corporis actio repetetur.

92) Eth. II. Prop. 24. Dem. Partes.: Corpus humanum componentes, ad essentiam ipsius corporis non pertinent, nisi quantenus motus suos certa quadam ratione secum communicant, et non quatenus ut individua absque relatione ad humanum corpus considerantur.

parti spontaneo partium motu impressis, illorum in corpore imagines formantur, quibus in mente eorundem imaginationes respondent⁹³). Corpus humanum limitatum certi tantum imaginum numeri est capax, quae ita in eodem simul esse possunt, ut nulla caeterarum concursu extinguatur. Imaginum in corpore numerus si tantus est, ut mens singularum parvas differentias earumque determinatum numerum imaginari nequeat, notiones universales existunt, ut homo, eques etc. Imaginum in corpore numerus si tantus est, ut omnes inter se plane confundantur, in mente oriuntur notiones transcendentales, ut ens, res, aliquid etc.⁹⁴). Imaginum, quae semel simul in

93) Eth. II, Prop. 17. Schol. . . . Porro, ut verba usitata retineamus, corporis humani affectiones, quarum ideae corpora externa velut nobis praesentia repraesentant, rerum imagines vocabimus, tametsi rerum figuras non referunt. Et quum mens hac ratione contemplatur corpora, eandem imaginari dicemus. Atque hic, ut, quid sit error indicare incipiam, notetis velim, mentis imaginationes in se spectatas nihil erroris continere, sive mentem ex eo, quod imaginatur, non errare, sed tantum quatenus consideratur carere idea, quae existentiam illarum rerum, quas sibi praesentes imaginatur, secludat. Nam si mens, dum res non existentes, ut sibi praesentes imaginatur, simul sciret, res illas re vera non existere, hanc sane imaginandi potentiam virtuti suae naturae, non vitio tribueret, etc.

94) Eth. II. Prop. 41. Schol. Attamen ne quid horum omittam, quod scitu necessarium sit, causas breviter addam ex quibus termini, transcendentales dicti, suam duxerunt originem, ut Ens, Res, Aliquid. Hi termini ex hoc oriuntur, quod scilicet humanum corpus, quandoquidem-

corpore erant, una iterum si excitatur, mens statim reliquarum recordatur, quae recordatio inmen-

limitatum est, tantum est capax certi imaginum numeri in se distincte simul formandi, qui si excedatur, hae imagines confundi incipiant, et si hic imaginum numerus, quarum corpus est capax, ut eas in se simul distincte, format, longe excedatur, omnes inter se plane confunduntur. Cum hoc ita se habeat, patet ex Coroll. Prop. 17 et Prop. 18 hujus, quod mens humana tot corpora distincte simul poterit imaginari, quot in ipsius corpore possunt simul formari. At ubi imagines in corpore plane confunduntur, mens etiam omnia corpora confuse sine ulla distinctione imaginabitur, et quasi sub uno attributo comprehendet, nempe sub attributo entis, rei etc. Potest hoc etiam ex eo deduci, quod imagines non semper aequae vigeant, et ex aliis causis his analogis, quas hic explicare non est opus, nam ad nostram, ad quam collimamus scopum, unum tantum sufficit considerare. Nam omnes huc redeunt quod hi termini ideas significant summo gradu confusos. Ex similibus deinde causis ortae sunt notiones illae, quas universales vocant, ut homo, equus, canis etc. Videlicet quia in corpore humano tot imagines, ex. gr. hominum, formentur simul, ut imaginandi vis non quidem penitus, sed eo usque tamen superent, ut singulorum parvas differentias, (videlicet uniuscujusque colorem, magnitudinem etc.) eorumque determinatum numerum mens imaginari nequeat, et id tantum, in quo omnes, quatenus corpus ab iisdem afficitur, conveniunt, distincte imaginatur. Nam ab eo corpus, maxime scilicet ab unoquoque singulari affectum fuit; atque hoc nomine hominis exprimit, hocque de infinitis singularibus praedicat. Nam singularium determinatum numerum, ut diximus, imaginari nequit. Sed notandum, has notiones non ab omnibus eodem modo formari; sed apud unumquemque variare pro ratione rei, a qua corpus affectum saepius fuit, quamque facilius mens imaginatur, vel recordatur. Ex. gr. qui saepius cum admiratione hominum staturam contem-

te fit secundum ordinem et concatenationem affectionum corporis humani⁹⁵⁾. In hac idearum natura consistit memoria⁹⁶⁾. Eiusdem ope certi temporis, mensurae, numeri notiones, rerumque per easdem determinaciones oriuntur^{97. 98)}.

plati sunt, sub nomine hominis intelligunt animal erectae staturae, qui vero aliud assueti sunt contemplari, aliam hominum communem imaginem formabunt, nempe hominem esse animal risibile, animal bipes, sine plumis, animal rationale; et sic de reliquis unusquisque pro dispositione sui corporis rerum universales imagines formabit. Quare non mirum est quod inter Philosophos, qui res naturales per solas rerum imagines explicare voluerunt, tot sint ortae controversiae.

- 95) Eth. II. Prop. 18. Si Corpus humanum duobus vel pluribus corporibus simul affectum fuerit semel, ubi Mens postea eorum aliquod imaginabitur, statim et aliorum recordabitur
- 96) Eth. II. Prop. 18. Schol. Hinc clare intelligimus, quid sit Memoria. Est enim nihil aliud quam quaedam concatenatio idearum, naturam rerum, quae extra Corpus humanum sunt, involventium, quae in mente fit secundum ordinem et concatenationem affectionum Corporis humani.
- 97) Epp. XXIX. Opp. P. 467. Porro ex eo quod Durationem et quantitatem pro libitu determinare possumus, ubi scilicet hanc a substantia abstractam concipimus, et illam a modo, quo a rebus aeternis fluit, separamus, oritur tempus et mensura, tempus nempe ad durationem mensura ad quantitatem, tali modo determinandam, ut, quoad fieri potest, eas facile imaginemur. Deinde ex eo, quod affectiones substantiae ab ipsa substantia separamus, et ad classes, ut eas quoad fieri potest, facile imaginemur, redigimus, oritur Numerus, quo ipsas determinamus. Ex qui-

Eadem de causa res tam praeteriti quam futuri temporis respectu ut contingentes et possibles percipiuntur^{99, 100}). Ideae rerum non entium,

bus clare videre est, Mensuram, Tempus et Numerum nihil esse, praeter cogitandi, vel potius imaginandi Modos.

- 98) Epp. XXIX. pag. 468. Porro ex modo dictis satis pateat, nec Numerum, nec Mensuram, nec Tempus, quandoquidem non nisi auxilia imaginationis sunt, posse esse infinitos. Nam alias Numerus non esset numerus, nec Mensura mensura, nec Tempus tempus.
- 99) Eth. II. Prop. 44. Coroll. I. Hinc sequitur a sola imaginatione pendere, quod res tam respectu praeteriti quam futuri ut contingentes contemplemur.
- 100) Eth. II. Pr. 44. Schol. Qua autem ratione hoc fiat, paucis explicabo. Ostendimus supra, mentem, quamvis res non existant, eas tamen semper, ut sibi praesentes imaginari, nisi causae occurrunt, quae earum praesentem existentiam secludant. Praeterea nemo dubitat, quin etiam tempus imaginemur, nempe ex eo, quod corpora alia aliis tardius, vel celerius, vel aequae celeriter, moveri imagine mur. Ponamus itaque puerum, qui heri prima vice hora matutina viderit Petrum, meridiana autem Paulum, et vespertina Simeonem, atque hodie iterum matutina hora Petrum. Ex prop. 8 hujus patet, quod simulac matutinam lucem videt, illico solem eandem coeli, quam die praecedenti viderit, partem percurrentem, sive diem integrum, et simul cum tempore matutino Petrum, cum meridiano autem, [82] Paulum et cum vespertin Simeonem imaginabitur, hoc est, Pauli et Simeonis existentiam cum relatione ad futurum tempus imaginabitur; et contra si hora vespertina Simeonem videat, Paulum et Petrum ad tempus praeteritum referet, eosdem scilicet simul cum tempore praeterito imaginando, atque haec eo constantius, quo saepius eos eodem hoc ordine viderit. Quod si aliquando contingat, ut alia quadam vespera loco Simeo-

uti alati equi, chimaerae et alia simili imaginum confusione oriuntur¹⁾. Corporis sui et corporum externorum cognitionem imaginationis ope comparatam mens per affectiones tantum habet, quibus individua se invicem afficiunt²⁾; et sui ipsius cognitionem tantum per ideas harum affectionum³⁾. Mens igitur, quoties ex communi naturae ordine res percipit, nec sui ipsius, nec sui Corporis, nec corporum externo-

nis, Jacobum videat, tum sequenti mane cum tempore vespertino jam Simeonem, jam Jacobum, non vero ambos simul imaginabitur. Nam alterutrum tantum, non autem ambos simul tempore vespertino vidisse supponitur. Fluctuabitur itaque eius imaginatio, et cum futuro tempore vespertino jam hunc, jam illum imaginabitur, hoc est, neutrum certo, sed utrumque contingenter futurum contemplabitur. Atque haec imaginationis fluctuatio eadem erit, si imaginatio rerum sit, quas eodem modo cum relatione ad tempus praeteritum, vel praesens, contemplamur, et consequenter res tam ad tempus praesens, quam ad praeteritum, vel futurum relatas, ut contingentes, imaginabimur.

- 1) Eth. II. Prop. 35. Falsitas consistit in cognitionis privatione quam ideae inadaequatae sive mutilatae et confusae involvunt.
- 2) Eth. II. prop. 24. Dem. Partes Corpus humanum componentes ad essentiam ipsius Corporis non pertinent, nisi quatenus motus suos certa quadam ratione invicem communicant, et non, quatenus, ut individua absque relatione ad humanum corpus considerari possunt.
- 3) Eth. II. pr. 39. Coroll. Nam mens se ipsam non cognoscit, nisi quatenus ideas affectionum corporis percipit.

rum adaequatam, sed confusam tantum et mutilatam habere cognitionem potest ⁴⁾).

§. 8.

De Ratione.

Id, quod omnibus corporibus commune et aequae in toto ac in parte est, a mente adaequate percipitur ⁵⁾. Hinc sequitur dari quasdam ideas sive notiones omnibus hominibus communes ⁶⁾, et ex hisce aliae sequuntur ideae, quae etiam sunt adaequatae, sive clarae et distinctae ⁷⁾. Tali modo oriuntur notiones communes, quae ratiocinii sunt fundamenta ⁸⁾, quasque mens

-
- 4) Eth. II. Prop. 39. Coroll. Hinc sequitur mentem humanam, quoties ex communi naturae ordine res percipit, nec sui ipsius, nec sui corporis, nec corporum externorum adaequatam, sed confusam tantum et mutilatam habere cognitionem.
- 5) Eth. II. Prop. 38. Illa, quae omnibus communia, quae aequae in toto ac in parte sunt, non possunt concipi, nisi adaequate.
- 6) Eth. II. Prop. 38. Coroll. Hinc sequitur dari quasdam ideas, sive notiones omnibus hominibus communes. Nam omnia corpora in quibusdam conveniunt, quae ab omnibus debent adaequate, sive clare et distincte percipi.
- 7) Eth. II. Prop. 40. Quaecunque ideae in mente sequuntur ex ideis, quae in ipsa sunt adaequatae, sunt etiam adaequatae.
- 8) Eth. II. pr. 40. Schol. His causam notionum, quae communes vocantur, quaeque ratiocinii nostri fundamenta sunt, explicui.

format ex eo, quod, res plures simul contemplans, determinatur ad earum convenientias, differentias et oppugnantias clare et distincte intelligendas⁹⁾. Huius cognoscendi generis ope mens res omnes necessarias, infinito causarum nexu determinatas¹⁰⁾, et sub quadam aeternitatis specie percipit.^{11.12)}

9) Eth. II. Prop. 29 Schol. Dico expresse, quod Mens nec sui ipsius, nec sui corporis, nec corporum externorum adaequatam sed confusam tantum cognitionem habeat, quoties ex communi naturae ordine res percipit, hoc est, quoties externe, ex rerum nempe fortuito occurso determinatur ad hoc vel illud contemplandum et non, quoties interne, ex eo scilicet, quod plures simul contemplatur, determinatur ad eorundem convenientias, differentias et oppugnantias intelligendum; quoties enim hoc, vel alio modo interne disponitur tum res clare et distincte contemplatur, ut infra ostendam.

10) Eth. V. Prop. 6 Dem. Mens res omnes necessarias esse intelligit, et infinito causarum nexu determinari ad existendum et operandum.

11) Eth. II. Prop. 44. Coroll. II. De natura rationis est, res sub quadam aeternitatis specie percipere. Dem. De natura enim rationis est, res ut necessarias et non ut contingentes contemplari. Hanc autem rerum necessitatem vere, hoc est, ut in se est percipit. Sed haec rerum necessitas est ipsa dei aeternae naturae necessitas; ergo, de natura rationis est, res sub hac aeternitatis specie contemplari.

12) Eth. II. Prop. 44. Coroll. II Dem. Adde, quod fundamenta rationis notiones sint, quae illa explicant, quae omnibus communia sunt, quaeque nullius rei singularis essentiam explicant, quaeque propterea absque ulla

De Intellectu¹³⁾.

Unaquaeque res singularis involvit cognitionem quorundam Dei attributorum¹⁴⁾, sive uniuscuiusque rei singularis idea involvit Dei aeternam et infinitam essentiam¹⁵⁾. Hinc sequitur cognitio adaequata et perfecta aeternae et infinitae essentiae Dei¹⁶⁾. Mens hac de causa scit Deum omnium rerum esse aeternam causam¹⁷⁾, et huius cognitionis ope eam scientiam sibi format, quae intuitiva appellatur¹⁹⁾.

temporis relatione, sed sub quadam aeternitatis specie debent percipi.

13) Eth. I. Prop. 31. Dem. Per intellectum enim, ut per se notum, non intelligimus absolutam cogitationem, sed certum tantum modum cogitandi, qui modus ab aliis, scilicet cupiditate, amore etc. differt.

14) vid. citat. 88. pag. 35.

15) Eth. II. Prop. 45. Unaquaeque cuiuscunque corporis vel rei singularis, actu existentis, idea dei aeternam et infinitam essentiam necessario involvit.

16) Eth. II. Prop. 46. Cognitio aeternae et infinitae essentiae dei, quam unaquaeque idea involvit, est adaequata et perfecta.

17) Eth. V. Prop. 30. Mens nostra, quatenus se et corpus sub aeternitatis specie cognoscit, eatenus dei cognitionem necessario habet, scitque se in deo esse et per deum concipi. Dem. Aeternitas est ipsa dei essentia, quatenus haec necessariam involvit existentiam, Res igitur sub specie aeternitatis concipere, est, res concipere, quatenus per dei essentiam involvunt existentiam; adeoque mens etc.

§. 10.

De humanae cogitationis cum divina
nexu.

Deus sive substantia, quae unica et libera causa est sui, sive Naturae, hoc est, illius indi-

18) De Em. Int. Tr. pg. 390. sqq. Intellectus proprietates, quas praecipue notavi, et clare intelligo, hae sunt.

- I. Quod certitudinem involvat, hoc est, quod sciat, res ita esse formaliter, ut in ipso objective continentur.
- II. Quod quaedam percipiat, sive quasdam formet ideas absolute, quasdam ex aliis. Nempe quantitatis ideam format absolute, nec ad alias attendit cogitationes, motus vero ideas non, nisi attendendo ad ideam quantitatis.
- III. Quas absolute format, infinitatem exprimunt, at determinatas ex aliis format. Idea enim quantitatis, si eam per causam percipit, tam quantitatem determinat, ut, cum ex motu alicujus plani corpus, ex motu lineae vero planum, ex motu denique puncti lineam oriri percipit; quae quidem perceptiones non inserviunt ad intelligendam, sed etiam ad determinandam quantitatem. Quod inde apparet, quia ens quasi ex motu oriri concipimus, cum tamen motus non percipiatur, nisi percepta quantitate, et motum etiam ad formandam lineam in infinitum continuare possumus, quod minime possumus facere, si non haberemus ideam infinitae quantitatis.
- IV. Ideas positivas prius format quam negativas.
- V. Res non tam sub duratione, quam sub quadam specie aeternitatis percipit, et numero infinito, vel potius ad res percipiendas, nec ad numerum, nec ad durationem attendit: cum autem res imaginatur, eas sub certo numero, determinata duratione et quantitate percipit.
- VI. Ideae, quas claras et distinctas formamus, ita ex sola necessitate nostrae naturae sequi videntur, ut absolute a

vidui, quod omnibus simul modis extensionis et cogitationis constituitur, omnium rerum cognitionem habet perfectissimam,¹⁹⁾ et huius cognitionis causa non est in reliquis attributis Dei, sed in cogitatione sola²⁰⁾. Rerum singularium ideae in infinita Dei idea eodem modo comprehenduntur, ac res extensae ex extensione infinita sequuntur^{21. 22)}. Deus

sola nostra potentia pendere videantur, confusae autem contra, nobis enim invitis saepe formentur.

VII. Ideas rerum, quas intellectus ex aliis format, multis modis mens determinare potest.

VIII. Ideae quo plus perfectionis alicujus objecti exprimunt eo perfectiores sunt etc.

. . . Ideae ergo falsae et fictae quatenus tales, nihil nos de essentia cognitionis docere possunt; sed haec petenda ex modo recensitis proprietatibus positivis, hoc est, jam aliquid commune statuendum est, ex quo haec proprietates necessario sequantur, sive quo dato hae necessario dentur, et quo sublato hae omnia tollantur.

19) Eth. II. Prop. 6. Coroll. Hinc sequitur, quod Dei cogitandi potentia aequalis est ipsius actuali agendi potentiae. Hoc est: quidquid ex infinita Dei natura sequitur formaliter, id omne ex Dei idea eodem ordine, eademque connexionem sequitur in Deo objective.

20) Eth. II. Prop. 5. Esse formale idearum Deum, quatenus tantum ut res cogitans consideratur, pro causa agnoscit, et non quatenus alio attributo explicatur, hoc est, tam Dei attributorum, quam rerum singularium ideae non ipsa ideata, sive res perceptas pro causa efficiente agnoscunt; sed ipsum Deum, quatenus est res cogitans.

21) Eth. II. Prop. 8. Ideae rerum singularium, sive modorum non existentium ita debent comprehendi in Dei in-

vero alicuius obiecti idea affectus est, quatenus mentem eiusdem constituit²³). Omnes hae ideae, quatenus ad Deum referuntur, sunt verae et adaequatae²⁴); et quidquid in singulari cuiuscunque ideae obiecto contingit, eius datur in Deo cognitio, quatenus tantum eiusdem obiecti ideam habet²⁵); quoniam idea rei singularis Deum pro causa habet, non quatenus infinitus est, sed quatenus alia rei singularis actu existentis idea affectus consideratur, cuius etiam Deus est causa, quatenus alia tertia affectus est, et sic in infinitum²⁶). Harum deinceps idearum secundas ideas,

finita idea ac rerum singularium, sive modorum essentiae formales in Dei attributis continentur.

- 22) Eth. II. Prop. 8. Coroll. Hinc sequitur, quod, quamdiu res singulares non existunt, nisi quatenus in Dei attributis comprehenduntur, earum esse obiectivum, sive ideae non existunt, nisi quatenus infinita Dei idea existit; et, ubi res singulares dicuntur existere, non tantum, quatenus in Dei attributis comprehenduntur, sed quatenus etiam durare dicuntur, earum ideae etiam existentiam, per quam durare dicuntur, involvunt.
- 23) Eth. II. Prop. 12. Dem. Quidquid enim in obiecto cuiuscunque ideae contingit, eius rei datur necessario in Deo cognitio, quatenus eiusdem obiecti idea affectus consideratur, hoc est, quatenus mentem alicuius rei constituit. Quicquid igitur in obiecto idea, mentem humanam constituentis, contingit, eius datur necessario in Deo cognitio, quatenus naturam mentis humanae constituit.
- 24) Eth. II. Prop. 36. Dem. Ideae omnes in Deo sunt, et quatenus ad Deum referuntur, sunt verae et adaequatae.
- 25) vide citat 22. supr.

quae nihil aliud sunt, nisi formae idearum, quatenus hae ut modi cogitandi absque relatione ad obiectum considerantur, format; porro harum, quas de rerum singularium ideis habet idearum, ideas tertias format, et sic in infinitum. ^{27. 28)}

26) Eth. II. Prop. 9 Coroll. Dem. Quicquid in obiecto cuiuseunque idea contingit, eius datur in Deo idea, non quatenus infinitus est, sed quatenus alia rei singularis idea affectus consideratur. Sed ordo et connexio idearum idem est ac ordo et connexio rerum, erit ergo cognitio eius, quod in singulari aliquo obiecto contingit, in Deo quatenus tantum eiusdem obiecti habet ideam.

27) Eth. II. Prop. 20. Mentis humanae datur etiam in Deo idea sive cognitio, quae in Deo eodem modo sequitur, et ad Deum eodem modo refertur, ac idea sive cognitio corporis humani. Dem. Cogitatio attributum Dei est, adeoque tam eius, quam omnium eius affectionum, et consequenter mentis humanae debet necessario in Deo dari idea. Deinde haec mentis idea sive cognitio non sequitur in Deo dari, quatenus infinitus, sed quatenus alia rei singularis idea affectus est. Sed ordo et connexio idearum idem est ac ordo et connexio rerum, sequitur ergo haec mentis idea sive cognitio in Deo, et ad Deum eodem modo refertur ac idea sive cognitio corporis.

28) Eth. II. Prop. 21 Coroll. Haec propositio longe clarius intelligitur ex dictis in schol. prop. 7 huius. Hic enim ostendimus mentem et corpus unum et idem esse individuum, quod iam sub cogitationis. iam sub extensionis attributo concipitur. Quae mentis idea et mens ipsa una eademque est res, quae sub uno eodemque attributo, nempe cogitationis concipitur. Mentis, inquam, idea, et mens ipsa in Deo eadem necessitate ex eadem cogitandi potentia sequuntur dari. Nam re vera idea

Mens humana pars est infiniti intellectus Dei, sive illius individui cogitantis, quod omnium idearum unione constat, et quatenus idea, vel mens pars est ideae Dei, eatenus Deus explicatur per naturam mentis humanae.²⁹⁾ Omnes cognitiones, quae in Deo sunt, quatenus per naturam mentis rei alicuius singularis explicatur, sive, quatenus huius rei mentem constituit, in hac mente sunt.³⁰⁾ Mens vero inadaequatas ideas habet, quatenus Deus simul cum

mentis, hoc est idea ideae nihil aliud est, quam forma idea quatenus haec ut modus cogitandi, absque relatione ad obiectum consideratur; simulac enim quis scit, eo ipso scit, se id scire, et simul scit se scire quod sciat, et sic in infinitum.

29) Eth. II. Prop. 11 Coroll. Hinc sequitur mentem humanam esse partem infiniti intellectus Dei, et proinde, quum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, sive quatenus humanae mentis essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam; et quum dicimus, Deum hanc vel illam ideam habere, non tantum quatenus naturam humanae mentis constituit, sed quatenus simul cum mente humano alterius rei etiam habet ideam, tum dicimus mentem humanam rem ex parte, sive inadaequate percipere.

30) Eth. II. Prop. 12 Dem. Quicquid igitur in obiecto ideae humanam mentem constituentis contingit, eius datur necessario in Deo cognitio, quatenus naturam humanae mentis constituit, hoc est, eius rei cognitio erit necessario in mente, sive mens id percipit.

hac mente alius rei etiam habet ideam³¹⁾ Hac de causa in Mente humana inadaequatae sunt ideae partium corpus humanum componentium³²⁾, quoniam in Deo non sunt, nisi quatenus aliis ideis affectus consideratur, deinde ideae rerum externarum, quae in Deo per naturam mentis humanae explicato non sunt, nisi quatenus Deus affectus consideratur idea alterius rei, ipso corpore natura prioris; denique affectionum ideae, quas corpus patitur per res externas, quoniam eodem modo in Deo non sunt, nisi quatenus aliarum rerum ideis affectus consideratur³³⁾. Mens igitur humana nec sui, nec corporis sui nec corporum externorum adaequatam, sed confusam tantum et inadaequatam cognitionem habere potest³⁴⁾. In Deo per na-

31) vide citat. 29. pag. 46.

32) Eth. II. prop. 28. Dem. At corporum externorum adaequata cognitio, ut et partium corpus humanum componentium in Deo non est, quatenus humana mente, sed qualiis ideis affectus consideratur. Sunt ergo hae affectionum ideae, quatenus ad solam humanam mentem referuntur veluti consequentiae absque praemissis, hoc est, ideae confusae.

33) Eth. II. Prop. 22. Dem. At quatenus externum corpus individuum est, quod ad corpus humanum non refertur, eius idea sive cognitio in Deo est, quatenus Deus affectus consideratur alterius rei idea, quae ipso corpore externo prior est natura. Quare corporis externi adaequata cognitio in Deo non est, quatenus ideam affectionis corporis humanae habet, sive idea affectionis corporis humani adaequatam corporis externi cognitionem non involvit.

34) vide citat 4. pag. 39.

turam mentis humanae explicato sunt quoque
 ideae adaequatae³⁵⁾, quippe idea eius, quod om-
 nibus corporibus est commune,³⁶⁾ et ideae earum
 affectionum, quas corpus humanum patitur per
 id, quod omnibus corporibus est commune,³⁷⁾.
 Et hae ideae in mente quoque humana sunt
 adaequatae.

35) Eth. II. Prop. 43. Dem. Ponamus itaque dari in Deo
 quatenus per naturam mentis humanae explicatur ideam
 adaequatam A. Huius ideae debet necessario dari etiam
 in Deo idea, quae ad Deum eodem modo refertur, ac
 idea A. At idea A ad deum referri supponitur, quatenus
 per naturam mentis humanae explicatur; ergo etiam idea
 ideae A ad deum eodem modo debet referri, hoc est,
 haec adaequata idea ideae A erit in ipsa mente, quae
 ideam adaequatam A habet; adeoque qui adaequatam
 habet ideam, sive qui vere rem cognoscit, debet simul
 suae cognitionis adaequatam habere ideam, sive veram
 cognitionem, hoc est, ut per se manifestum, debet simul
 esse certus.

36) Eth. II. Prop. 38 Dem. Sit A aliquid quod omnibus corpori-
 bus commune, quodque aeque in parte cuiuscunque cor-
 poris ac in toto est. Dico A non posse concipi nisi adae-
 quate. Nam eius idea erit necessario in Deo adae-
 quata, tam quatenus ideam corporis humani, quam qua-
 tenus ideas habet eiusdem affectionum.... hoc est, haec
 idea erit necessario in Deo adaequata, quatenus mentem
 humanam constituit, sive quatenus ideas habet, quae in
 mente humana sunt. Mens igitur A necessario adae-
 quate percipit, idque tam quatenus se, quam quatenus suum
 vel quodcunque externum corpus percipit, nec A alio
 modo potest percipi.

37) Eth. II. Pr. 39. Dem. Ponatur iam humanum corpus
 a corpore externo affici per id, quod cum eo habet com-

§. II.

De harmonia, quae inter cogitationes humanas et res externas obtinet.

Idae simplicissimae sunt substantiae partes sub cogitationis attributo perceptae, quae sub extensionis attributo consideratae corporum elementa sunt³⁸⁾. Ordo igitur et connexus idearum idem est ac ordo et connexus rerum,³⁹⁾ mensque ideas secundum ordinem percipiens rerum singularium cognitionem sibi comparat,⁴⁰⁾ singularium et mutabilium rerum seriei quantum fieri potest percipiens⁴¹⁾. Pro altera rerum singu-

mune, hoc est ab A; huius affectionis idea proprietatem A involvit, atque adeo idea huius affectionis, quatenus proprietatem A involvit erit in Deo adaequata, quatenus idea corporis humani affectus est, hoc est, quatenus mentis humanae naturam constituit; adeoque haec idea est etiam in mente adaequata.

- 38) Eth. II. Prop. 7. Schol. Sic etiam modus extensionis et idea illius modi una eademque est res, sed duobus modis expressa.
- 39) Eth. II. Prop. 7. Ordo et connexio idearum idem est ac ordo et connexio rerum
- 40) Eth. V. Prop. 1. Prout cogitationes, rerumque ideae ordinantur et concatenantur in Mente, ita Corporis affectiones seu rerum imagines ad amussim ordinantur et concatenantur in Corpore.
- 41) De Intel. Emend. Tr. p. 9. 388. Seriem enim rerum singularium, mutabilium impossibile foret humanae imbecillitati assequi, cum propter earum omnem numerum superantem multitudinem, tum etc.

larium connexione per entia realia cum substantia mens idearum ordinatione progreditur ad cognitionem entium realium sive aeternarum causarum, et ad cognitionem entis illius, quod causa omnium rerum proponitur ⁴²⁾. Tali idearum concatenatione mens quam maxime refert Naturam.

42) Trac. de Emend. Intell. p. 388. Quod ad ordinem vero, et ut omnes nostrae perceptiones ordinentur et uniantur, requiritur, uti, quam primum fieri potest, et ratio postulat, inquiramus, an detur quoddam ens, et simul quale, quod sit omnium rerum causa, ut ejus essentia objectiva sit etiam causa omnium nostrarum idearum, et tum mens nostra, uti diximus quam maxime referet naturam, nam et ipsius essentiam et ordinem et unionem habebit objective. Unde possumus videre, apprime nobis esse necessarium, ut semper a rebus physicis, sive ab entibus realibus omnes nostras ideas deducamus, progrediendo, quoad ejus fieri potest, secundum seriem causarum ab uno ente reali ad aliud ens reale, et ita quidem, ut ad abstracta et universalia non transeamus, sive ut ab iis aliquid reale non concludamus, sive ut ea ab aliquo reali non concludantur. Utrumque enim rerum progressum intellectus interrumpit. Sed notandum me hic per seriem causarum, et realium entium non intelligere seriem rerum singularium mutabilium; sed tantummodo seriem fixarum aeternarumque.

Psychologiae pars altera

De mentis humanae affectibus

§. 12.

De affectuum definitione et divisione.

Ex unaquaque rei singularis actu existentis idea aliquis effectus necessario sequi debet, cuius effectus Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus illa idea affectus consideratur, sive Substantia est causa adaequata⁴³⁾, hoc est, causa, quae sola per se sufficit ad effectum illum provocandum⁴⁴⁾. Mens, cui haec adaequata idea inest ejusdem effectus causa est adaequata. Deinde quum aliquid sequitur ex idea, quae in Deo est adaequata, non quatenus hanc ideam sive mentem solam constituit, sed quatenus aliarum rerum mentes simul format, effectus exoritur, cuius illa idea causa tantum partialis sive

43) Eth. III. Prop. 1. Dem. Deinde ex data quacunque idea aliquis effectus sequi necessario debet, cuius effectus Deus est causa adaequata, non quatenus infinitus est, sed quatenus data illa idea affectus consideratur. At eius effectus, cuius Deus est causa, quatenus affectus est idea, quae in alicuius mente est adaequata, illa eadem mens est causa adaequata.

44) Eth. III. Df. 1. Causam adaequatam apello eam, cuius effectus potest clare et distincte per eandem percipi. Inadae-

inadaequata est⁴⁵). Mens vero, quatenus affectus alicuius causa adaequata est, quaedam agit, quatenus vero effectus alicuius causa inadaequata est, quaedam patitur⁴⁶). Patitur autem mens humana quatenus consideratur naturae pars, quae per se absque aliis clare et distincte percipi non potest⁴⁷). Quidquid mens sive sola, sive cum aliis agit, consistit in conservatione sui⁴⁸), et mentis actualis essentia nihil est, nisi potentia, qua in suo Ess perseverare conatur⁴⁹). Diversae mentis conditiones, quae ex hoc conatu sequuntur, sunt affectus, qui ideo nihil sunt, nisi confusae ideae, quibus mens maiorem

quatenus seu partialem illam voco, cuius effectus per illam solam intelligi nequit.

- 45) Eth. III. Prop. 1. Dem. Deinde, quicquid necessario sequitur ex idea, quae in Deo est adaequata, non quatenus Mentem alicuius hominis tantum, sed quatenus aliarum rerum mentes simul cum eiusdem hominis mente in se habet, eius illius hominis mens non est causa adaequata, sed partialis.
- 46) Eth. III. Prop. 1. Mens nostra quaedam agit, quaedam vero patitur, nempe quatenus adaequatas habet ideas, eatenus quaedam necessario agit, et quatenus ideas inadaequatas habet, eatenus necessario quaedam patitur.
- 47) Eth. IV. Prop. 11. Nos eatenus patimur, quatenus Naturae sumus pars, quae per se absque aliis non potest concipi.
- 48) Eth. III. Prop. 6. Unaquaeque res, quantum in se est, in suo esse perseverare conatur.
- 49) Eth. III. Prop. 7. Dem. Qua re cuiuscunque rei potentia sive conatus, quo ipsa vel sola, vel cum aliis quidquam agit, vel agere conatur, hoc est potentia sive

vel minorem quam antea existendi vim corpori suo toto, vel aliquibus eius partibus in haerentem affirmat, et quibus datis Mens ad hoc potius, quam ad illud cogitandum determinatur⁵⁰⁾ Conatus ipse ad mentem solam relatus Voluntas est, ad mentem et corpus simul relatus Appetitus vocatur, et appetitus cum conscientia, quam mens de eodem habet, Cupiditas⁵¹⁾. Corporis potentia augetur et minui potest⁵²⁾. Corporis porro potentia

conatus, quo in suo esse perseverare conatur, nihil est, praeter ipsius rei datam sive actualem essentiam.

- 50) Eth. III. pag. 159 Affectuum generalis definitio. Affectus qui animi pathema dicitur, est confusa idea, qua mens maiorem vel minorem sui corporis, vel alicuius eius partis existendi vim, quam antea, affirmat, et qua data ipsa mens ad hoc potius, quam ad illud cogitandum determinatur.
- 51) Eth. III. Prop. 9 Schol. Hic conatus, cum ad mentem solam refertur, voluntas appellatur; sed cum ad mentem et corpus simul refertur, vocatur appetitus, qui proinde nihil aliud est, quam ipsa hominis essentia, ex cuius natura ea, quae ipsius conservationi inserviunt, necessario sequuntur; atque adeo homo ad eadem agendum determinatus est. Deinde inter Appetitum et cupiditatem nulla est differentia, nisi quod cupiditas ad homines plerumque referatur, quatenus alicuius appetitus sunt conscii, et propterea sic definiri potest, nempe, cupiditas est Appetitus cum eiusdem conscientia. Constat itaque ex his omnibus, nihil nos conari, velle, appetere neque cupere, quia id bonum esse iudicamus, sed contra nos propterea aliquid bonum esse iudicare, quia id conamur, volumus, appetimus atque cupimus.
- 52) Eth. III. Post. 1. Corpus humanum potest multis affici modis, quibus ipsius Corporis agendi potentia augetur

quum augetur, Mens a minore ad maiorem perfectionem, quum vero minuitur, a maiore ad minorem perfectionem transit⁵³). Transitio mentis a minore ad maiorem perfectionem Laetitia, transitio a maiore ad minorem perfectionem Tristitia vocatur⁵⁴). Cupiditas, Laetitia, Tristitia sunt soli primitivi seu primarii affectus, ex quibus cetera affectuum genera oriuntur⁵⁵) Laetitia concomitante idea causae externae fit Amor,

vel minuitur, et etiam aliis, qui eiusdem agendi potentiam nec maiorem nec minorem reddunt.

- 53) Eth. III Prop. Quicquid corporis nostri agendi potentiam auget vel minuit, iuvat vel coercet, eiusdem rei idea Mentis nostrae cogitandi potentiam auget vel minuit, iuvat vel coercet.
- 54) Eth. III. Prop. II. Schol. Videmus itaque Mentem magnas pati posse mutationes, et iam ad maiorem iam autem ad minorem perfectionem transire, quae quidem passiones explicant nobis affectus Laetitiae et Tristitiae. Per Laetitiam itaque in sequentibus intelligo passionem, qua mens ad majorem perfectionem transit, Per tristitiam autem passionem, qua ipsa ad minorem transit perfectionem. Porro affectum laetitiae ad mentem et corpus simul relatum Titillationem vel Hilaritatem vocat. Tristitiae autem Dolorem vel Melancholiam. Sed notandum: titillationem et dolorem ad hominem referri, quando una ejus pars prae reliquis est affecta; hilaritatem autem et melancholiam, quando omnes pariter sunt affectae, Quid deinde cupiditas sit in Scholio Prop. 9 hujus, explicui, et praeter hoc tres nullum alium agnosco affectum primarium, nam reliquos ex his tribus oriri in seqq. ostendam,
- 55) Eth. III. pg. 147 IV. Explic. Tres igitur tantum affectus primitivos seu primarios agnosco; nempe laetitiae et tristitiae et cupiditatis.

Tristitia concomitante idea causae externae Odium⁵⁶). Laetitiae et Tristitiae causa si imaginatio tantum rei futurae vel praeteritae est, aliud affectuum genus exoritur, in quorum numero Spes, Metus, Securitas, Desperatio et Conscientiae morsus⁵⁷). Omnium horum affectuum tot sunt species, quot species dantur obiectorum a quibus corpus humanum afficitur⁵⁸). Et hi quidem affectus sunt, qui ex mente sequuntur, quatenus patitur. Affectus, qui ex mente oriuntur quatenus agit, Fortitudinis nomine induuntur. Affectus huc pertinentes in duas classes dividuntur, in Animositatem et Generositatem. Animositas enim est cupiditas, qua

56) Eth. III. Prop. 13. Schol. Ex his clare intelligitur, quid amor, quidque odium sit. Nempe amor nihil aliud est, quam laetitia concomitante idea causae externae, et odium nihil aliud, quam tristitia concomitante idea causae externae. Videmus deinde, quod ille, qui amat, necessario conatur rem, quam amat praesentem habere etc.

57) Eth. III. Prop. 18. Schol. II. Ex modo dictis intelligimus, quid sit spes, metus, securitas, desperatio, gaudium et conscientiae morsus. Spes namque nihil aliud est, quam inconstans laetitia, orta ex imagine rei futurae vel praeteritae, de cuius eventu dubitamus. Metus contra inconstans tristitia ex rei dubiae imagine etiam orta. Porro si horum affectuum dubitatio tollatur ex spe fit securitas, et ex metu desperatio etc.

58) Eth. III. Prop. 56. Laetitiae, tristitiae et cupiditatis, et consequenter uniuscujusque affectus, qui ex his componitur, ut animi Fluctuationis, vel qui ab his derivatur, nempe amoris, odii, spei, metus etc. tot species dantur, quot sunt species obiectorum a quibus afficimur.

quisque conatur suum Esse ex solo rationis dictamine conservare, Generositas ea, qua unusquisque ex solo rationis dictamine reliquos homines iuvare conatur⁵⁹⁾. Ex Intellectu oritur cupiditas res tertio cognitionis genere sive sub aeternitatis specie percipiendi⁶⁰⁾. Cupiditas haecce semper Laetitiam movet⁶¹⁾, quoniam mentis potentia, quum res tertio cognitionis genere percipit, non potest non augeri. Haec Laetitia concomitante idea Dei est mentis erga Deum amor⁶²⁾. Mentis amor intellectualis erga Deum

59) Eth. III. Prop. 59. Schol. Omnes actiones, quae sequuntur ex affectibus, qui ad mentem referuntur, quatenus intelligit, ad Fortitudinem refero, quam in Animositatem ac Generositatem distinguo. Nam per Animositatem intelligo Cupiditatem, qua unusquisque conatur suum esse ex solo rationis dictamine conservare. Per Generositatem autem Cupiditatem intelligo, qua unusquisque ex solo rationis dictamine conatur, reliquos homines iuvare et sibi amicitia iungere. Omnes itaque actiones, quae solum agentis utile intendunt, ad Animositatem, et quae alterius etiam utile intendunt, ad Generositatem refero.

60) Eth. V. Prop. 25. Summus Mentis Conatus, summaque virtus est, res intelligere tertio cognitionis genere.

61) Eth. V. Prop. 32. Quicquid intelligimus tertio cognitionis genere, eo delectamur, et quidem concomitante idea Dei tanquam causa.

62) Eth. V. Prop. 32. Coroll. Ex tertio cognitionis genere oritur necessario Amor Dei intellectualis. Nam ex hoc cognitionis genere oritur Laetitia concomitante idea Dei, tanquam causa, hoc est, Amor Dei, non quatenus ipsam ut praesentem imaginamur, sed quatenus Deum aeternum

nihil est nisi pars amoris intellectualis infiniti quo Deus se ipsum amat⁶³). Hic amor infinitus quo Deus se ipsum necessario amat, propterea quod omnium rerum ex sua potentia progredientium habet cognitionem concomitante idea sui⁶⁴), solus affectus est, quem Deus habet, neque aliis affectibus turbari potest^{65, 66}). Corpus

esse intelligimus, et hoc est, quod Amorem Dei intellectualem voco.

- 63) Eth. V. Prop. 36. Dem. Hic Mentis Amor ad mentis actiones referri debet, qui proinde actio est, qua Mens se ipsam contemplatur, concomitante idea Dei, tanquam causa, hoc est, actio, qua Deus quatenus per Mentem humanam explicari potest, se ipsum contemplatur, concomitante idea sui, atque adeo hic Mentis Amor pars est infiniti amoris, quo Deus se ipsum amat.
- 64) Eth. V. Prop. 35. Deus se ipsum amore intellectuali infinito amat. Dem. Deus est absolute infinitus, hoc est, Dei natura gaudet infinita perfectione, idque concomitante idea sui, hoc est, idea suae causae, et hoc est, quod Amorem intellectualem esse diximus.
- 65) Eth. V. Prop. 17. Deus expers est passionum, nec ullo laetitiae aut tristitiae affectu afficitur. Dem. Ideae omnes, quatenus ad Deum referuntur verae sunt, atque adeo Deus expers est passionum. Deinde Deus neque ad maiorem neque ad minorem perfectionem transire potest, adeoque nulla tristitiae aut laetitiae affectus afficitur.
- 66) Eth. V. Prop. 17 Coroll. Deus proprie loquendo neminem amat neque odio habet. Nam Deus nullo laetitiae seu tristitiae affectu afficitur, et consequenter neminem etiam amat nec odio habet.

humanum ita comparatum est, ut ab eodem subiecto plurimis iisque diversis affectionibus possit simul agitari ⁶⁷⁾. Ea mentis constitutio, quae ex diversorum affectuum coniunctione exoritur, animi Fluctuatio nominatur ⁶⁸⁾ Affectus tot modis alii cum aliis componi, indeque tot variationes oriri possunt, ut animi fluctuationes nullo numero definiri queant ⁶⁹⁾.

Eth. V. Prop. 19. Qui Deum amat, conari non potest, ut Deus ipsum contra amet.

67) Eth. III. Prop. 17. Schol. Nam corpus humanum ex plurimis diversae naturae individuis componitur, atque adeo ab uno eodemque corpore plurimis diversisque modis potest affici; et contra, quia una eademque res multis modis potest affici, multis ergo etiam diversisque modis unam eandemque corporis partem poterit afficere. Ex quibus facile concipere possumus, unum idemque obiectum posse esse causam multorum contrariorumque affectuum.

68) Eth. III. Prop. 17. Schol. Haec mentis constitutio, quae scilicet ex duobus contrariis affectibus oritur, animi vocatur fluctuatio. Sed notandum, me in Prop. praec. has animi fluctuationes ex causis deduxisse, quae per se unius, et per accidens alterius affectus sunt causa, at non, quod negem animi fluctuationes plerumque oriri ab obiecto, quod utriusque affectus sit efficiens causa.

69) Eth. III. Prop. 59. Schol. Imo, unicuique ex iam dictis clare constare credo, affectus tot modis, alios cum aliis posse componi, indeque tot variationes oriri, ut nullo numero definiri queant.

De affectuum viribus.

Homo affectibus semper obnoxius est, et ut maris undae a contrariis ventis agitatae⁷⁰⁾ eventus atque fati sui inscius agitatur. Huius agitationis ratio non pendet a sola hominis potentia, sed a potentia rerum externarum, quae affectuum sunt causae, cum humana potentia comparata⁷¹⁾. Limitata autem hominis potentia a rerum externarum potentia infinite superatur, ita ut homo non sit sui iuris, sed rebus magis externis secundum naturae ordinem in omnibus determinetur^{72. 73)}. Ad men-

70) Eth. III. Prop. 59. Schol. Ex quibus apparet, nos a causis externis multis modis agitari, nosque, perinde ut maris undae a contrariis ventis agitatae fluctuari, nostri eventus atque fati inscios.

71) Eth. IV. Prop. 5. Vis et incrementum cujusque passionis, ejusque in existendo perseverantia non definitur potentia, qua in existendo perseverare conamur, sed causae externae potentia cum nostra comparata.

72) Eth. IV. Prop. 3. Vis, qua homo in existendo perseverat, limitata est, et a potentia causarum externarum infinite superatur. Dem. Patet ex Axiomate hujus. Nam dato homine datur aliquid aliud, puta A, potentius, et dato A datur deinde aliud, puta B, ipso A potentius, et hoc in infinitum; ac deinde potentia hominis potentia alterius rei definitur, et a potentia causarum externarum infinite superatur.

73) Eth. IV. Appendix. Cap. 32. Sed humana potentia admodum limitata est, et a potentia causarum externarum

tis agitationes demetiendas primum quidem, quod attinet ad affectuum inter se rationes, notandum est, affectibus contrariis simul in eodem subiecto existentibus, in omnibus vel in uno fieri debere mutationem, donec desinant contrarii esse ⁷⁴), eo quod infirmiores a firmioribus delentur ⁷⁵). Affectus vero eo maior est, quo maior res externa eum excitavit, deinde ^{76.77}),

infinite superatur, atque adeo potestatem absolutam non habemus, res, quae extra nos sunt, ad nostrum usum adaptandi.

- 74) Eth. V. Ax. I. Si in eodem subiecto duae contrariae actiones excitentur, debet necessario vel in utraque vel in una solae mutatio fieri, donec desinant contrarii esse.
- 75) Eth. IV. Prop. 7. Dem. Affectus quatenus ad mentem refertur, est idea, qua mens maiorem vel minorem sui corporis existendi vim, quam antea affirmat. Cum igitur mens aliquo affectu conflictatur, afficitur simul affectione, qua ejus agendi potentia augetur vel minuitur. Porro haec corporis affectio vim a sua causa accipit perseverandi in suo esse; quae proinde nec tolli potest, nec coerceri, nisi a causa corporea, quae corpus afficiat affectione, illi contraria et fortiori, atque adeo mens afficitur idea affectionis fortioris et contrariae priori, hoc est, mens afficitur affectu fortiore et contrario priori, qui scilicet prioris existentiam secludit, vel tollit; ac proinde affectus nec tolli nec coerceri potest, nisi per affectum contrarium et fortiolem.
- 76) Eth. V. Ax. II. Effectus potentia definitur potentia ipsius causae, quatenus ejus essentia per ipsius causae essentiam explicatur.
- 77) Eth. IV. Prop. 5. Vis et incrementum cujuscunque passionis, ejusque in existendo perseverantia non definitur

quo pluribus causis simul concurrentibus exoritur⁷³). Quod attinet ad hominis potentiam, caeteris paribus, affectus mentis imaginationibus et adaugeri et diminui possunt. Sic, verbi causa, affectus, cuius causam in praesenti adesse mens imaginatur, fortior redditur eo, cuius causam mens non adesse imaginatur⁷⁹), affectus contra erga rem, quam mens in praesenti non existere scit, et quam ut contingentem tantum imaginatur, multo remissior est, quam si rem in praesenti sibi adesse imaginatur⁸⁰).

§. 15.

De hominis virtute.

Virtus est ipsa humana potentia, quae solo conatu definitur, quo homo in suo Esse perseverare conatur^{81.82}). Suum Esse ex funda-

potentia, qua nos in existendo perseveramus, sed causae externae potentia cum nostra comparata.

78) Eth. V. Prop. 8. Quo affectus aliquis a pluribus causis simul concurrentibus excitatur, eo major est.

79) Eth. IV. Prop. 9. Affectus, cuius causam in praesenti nobis adesse imaginamur, fortior est, quam si eandem non adesse imaginaremur.

80) Eth. IV. Prop. 12. coroll. Affectus erga rem, quam scimus in praesenti non adesse, et quam ut contingentem imaginamur, multo remissior est, quam si rem in praesenti nobis adesse imaginaremur.

82) Eth. IV. Dff. 8. Per virtutem et potentiam idem intellico, hoc est virtus, quatenus ad hominem refertur, est ipsa

mento proprium utile quaerendi conservare, ex virtute absolute agere, vivere ex ductu rationis, unum et idem est⁸³). Utile vero est id quod corpus humanum ita disponit, ut plurimis modis affici possit, vel quod idem aptum reddit ad corpora externa plurimis modis afficienda; id contra noxium, quod corpus ad haec minus aptum reddit⁸⁴). Id porro, quod homo certo scit sibi utile esse, est bonum⁸⁵) Bona igitur esse de-

hominis essentia seu natura, quatenus potestatem habet quaedam efficiendi, quae per solas ipsius naturae leges possunt intelligi.

- 82) Eth. IV. Prop. 20. Quo magis unusque suum utile quaerere, hoc est, suum esse conservare conatur et potest, eo magis virtuti praeditus est; contra, quatenus unusquisque suum utile, hoc est suum esse conservare negligit, eatenus est impotens.
- 83) Eth. IV. Prop. 24. Ex virtute absolute agere, nihil aliud in nobis est, quam ex ductu rationis agere, vivere, suum esse conservare, (haec tria idem significant), ex fundamento proprium utile quaerendi.
- 84) Eth. IV. Prop. 38. Id, quod Corpus humanum ita disponit, ut plurimis modis possit affici, vel quod idem aptum reddit, ad Corpora externa pluribus modis afficiendum, homini est utile; et eo utilius, quo Corpus ab eo aptius redditur, ut pluribus modis afficiatur, aliaque corpora afficiat, et contra, id noxium est, quod Corpus ad haec minus aptum reddit.
- 85) Eth. IV. Def. 1. Per bonum id intelligam, quod certo scimus nobis esse ultie.

bent, quae efficiunt, ut motus et quietis modi, quos corporis partes invicem sequuntur, conserventur, ea contra mala, quae efficiunt, ut corporis humani partes alios ad invicem motus et quietis modos ineant⁸⁶). Omnes itaque actiones, hoc est, cupiditates illae, quae hominis potentia sive virtute definiuntur, semper bonae sunt, reliquae autem tam bonae quam malae esse possunt⁸⁷), excepto Odio, quod nunquam esse potest bonum⁸⁸) Omnia enim ex necessitate divinae naturae sequentia naturalia tantum sunt, neque bonum et malum aliud quidquam sunt, nisi modi cogitandi in mente humana; et si quis aliquid molestum et malum esse cogitat, et impium, horrendum, iniustum et turpe, id ex eo fit, quod res ipsas turbate, mutilate, confuse concipiebat⁸⁹). Itaque apparet hominem

86) Eth. IV. pro. 39. Quae efficiunt, ut motus et quietis ratio, quam corporis humani partes ad invicem habent, conservetur, bona sunt; et ea contra mala, quae efficiunt, ut corporis humani partes aliam ad invicem motus et quietis habeant rationem.

87) Eth. IV. Appendix. cap. 3. Nostrae actiones, hoc est cupiditates illae, quae hominis potentia, seu ratione definiuntur semper bonae sunt, reliquae tam bonae quam malae esse possunt.

88) Eth. IV. prop. 45. Odium nunquam potest esse bonum.

89) Eth. IV. Prop. 73. Schol. ad quod accedit id, quod in Schol. Prop. 50 huius partis et aliis in locis notavimus, quod scilicet vir fortis hoc apprime consideret, nempe

nihil conari, velle, appetere, cupere, quia id bonum esse iudicat, sed contra aliquid bonum esse iudicare, quia id vult, conatur, appetit, cupit^{91 91)}. Hac boni malique vera cognitione homo affectus coercere potest, non quatenus cognitio vera est, sed quatenus ut affectus consideratur⁹²⁾, quoniam affectus neque coerceri neque tolli potest, nisi alio affectu qui affectu coercendo est fortior⁹³⁾. Cognitio boni et mali

quod omnia ex necessitate divinae naturae sequantur, ac proinde quicquid molestum et malum esse cogitat, et quicquid praeterea impium, horrendum, injustum et turpe videtur, ex eo oritur, quod res ipsas perturbate, utilitate et confuse concipit.

- 90) Eth. III. pr. 9. Schol. Constat itaque ex his omnibus, nihil nos conari, velle, appetere, neque cupere, quia id bonum esse iudicamus; sed contra nos propterea aliquid bonum esse iudicare, quia id conamur, volumus, appetimus atque cupimus.
- 91) Eth. III. pr. 39. Schol. Supra ostendimus, nos nihil cupere, quia id bonum esse iudicamus, sed contra id bonum vocamus, quod cupimus; et consequenter id quod aversamur, malum vocamus; quare unusquisque ex suo affectu iudicat, seu aestimat, quid bonum, quid pravum quid denique optimum, quidque pessimum sit.
- 92) Eth. IV. Prop. 14. Vera boni et mali cognitio, quatenus vera, nullum affectum coercere potest, sed tantum, quatenus ut affectus considerare potest.
- 93) Eth. IV. prop. 7. Affectus nec coërceri nec tolli potest nisi per affectum contrarium et fortiorem affectu coërcendo.

est vero ipse Laetitiae et Tristitiae affectus, quatenus homo eius conscius est⁵⁹). Mentis potentia in affectus consistit igitur in eo, quod idearum concatenatione et ordinatione corporis affectiones ordinantur^{95. 96}). Attamen hoc modo non omnes affectus omnino opprimere poterit⁹⁷). Acquiescentiam, quantum hoc fieri pot-

94) Eth. IV. prop. 8. Cognitio boni et mali nihil aliud est, quam laetitiae et tristitiae affectus, quatenus eius sumus conscii.

95) Eth. V. Prop. 1. Prout cogitationes rerumque ideae ordinantur et concatenantur in Mente ita corporis affectiones, seu rerum imagines ad amussim ordinantur in corpore.

96) Eth. V. Prop. 9. 20 Schol.... Atque his omnia affectuum remedia sive id, quod mens, in se sola considerata, adversus affectus potest, comprehendere; ex quibus apparet, mentis in affectis potentiam consistere I. in ipsa affectuum cognitione II. in eo, quod affectus a cogitatione causae externae, quam confuse imaginamur separat; III. in tempore, quo affectiones, quae ad res, quas intelligimus referuntur, illas superant, quae ad res referuntur, quas confuse seu mutilitate concipimus. IV. in multitudine causarum a quibus affectiones, quae ad rerum communes proprietates, vel ad Deum referuntur, foventur V. denique in ordine quo mens suos affectus ordinare et invicem concatenare potest.

97) Eth. IV. Prop. 15. Cupiditas, quae ex vera boni et mali cognitione oritur, multis aliis cupiditatibus, quae ex affectibus quibus conflictamur, oriuntur, restringi vel coerceri potest.

est, acquirit mens tertio⁹⁸⁾ cognitionis genere et ratione⁹⁹⁾. Acquiescentia enim est Laetitia orta ex eo, quod homo se ipsum suamque agendi potentiam contemplatur²⁰⁰⁾. Necessarium igitur est, ut in unoquoque affectu hanc suam potentiam cognoscat, quod fit, simulac eius claram atque distinctam ideam format, eoque mentis passionem in actionem mutat^{1. 2)}. Ita quidem impedire non potest, quo minus multa eveniant contra id, quod utilitatis ratio postulat. Aeque tamen animo hoc feret, intelligens, omnia secundum aeternas naturae leges fieri, neque suam potentiam eo usque extendere se potuisse³⁾.

98) Eth. V. prop. 27. Ex hoc tertio cognitionis genere summa, quae dari potest, mentis acquiescentia oritur.

99) Eth. IV. pr. 52. Acquiescentia in se ipso ex ratione oriri potest, et ea sola acquiescentia, quae ex ratione oritur, summa est, quae dari potest.

200) Eth. III. Aff. Deff. 25. pag. 152. Acquiescentia in se ipso est laetitia orta ex eo, quod homo se ipsum, suamque agendi potentiam contemplatur.

1) Eth. IV. prop. 59. Ad omnes actiones, ad quas ex affectu, qui passio est, determinamur, possumus absque eo a ratione determinari.

2) Eth. V. prop. 3. Affectus, qui passio est, desinit esse passio, simulatque eius claram et distinctam; imaginem formamus.

3) Eth. IV. App. cap. 32. Attamen ea, quae nobis eveniunt contra id quod nostrae utilitatis ratio postulat, aeque animo feremus, si conscii sumus nos functos no-

Summa vero mentis virtus est, res tertio cognitionis genere cognoscere ⁴⁾. Ex hac cognitione sequitur conatus rerum tali modo cognoscendarum ⁵⁾, et cum hoc amor erga Deum intellectualis, qui summus affectus est, propterea quod in omnibus rebus habet causam ⁶⁾. Acquiescentia igitur est hicce amor erga Deum intellectualis ⁷⁾, et hic amor ipse est Beatitudo. Bea-

stro officio fuisse, et potentiam, quam habemus non potuisse se eo usque extendere, ut eadem vitare possemus, nosque partem totius naturae esse cuius ordinem sequimur. Quod si clare et distincte intelligamus, pars illa nostri, quae intelligentia definitur, hoc est, pars melior nostri in eo plane acquiescet, et in ea acquiescentia perseverare conabitur. Nam quatenus intelligimus, nihil appetere, nisi id quod necessarium est, nec absolute, nisi in veris, acquiescere possumus; adeoque, quatenus haec recte intelligimus, eatenus conatus melioris partis nostri cum ordine totius naturae convenit.

- 4) Eth. V. prop. 25. Summus mentis conatus, summaque virtus est, res intelligere tertio cognitionis genere.
- 5) Eth. V. prop. 32. Coroll. Ex tertio cognitionis genere oritur necessario Amor Dei intellectualis.
- 6) Eth. V. prop. 16. Dem. Est enim hic amor iunctus omnibus corporis affectionibus, quibus omnibus fovetur, atque adeo mentem maxime occupare debet.
- 7) Eth. V. Prop. 27. Ex hoc tertio cognitionis genere summa, quae dari potest mentis acquiescentia oritur. Dem. Summa mentis virtus est Deum cognoscere, sive res tertio cognitionis genere intelligere, quae quidem virtus eo maior est, quo mens hoc cognitionis genere magis res cognoscit; adeoque, qui res hoc cognitionis genere cogno-

titudo igitur non pretium virtutis est, sed ipsa virtus, quae hominis potentia definitur. Homo eadem gaudet, non propterea, quod libidines coercet; sed coercet libidines, quatenus illa beatitudine, sive virtute, sive potentia gaudet. 8)

§. 15.

De morte et de mentis parte aeterna.

Corpus moritur non tantum, quum mutatur in cadaver, sed quoties eius partes tales patiuntur mutationes, quae ejus naturam prorsus mutant. 9) De mente idem debet contendere, tamen non absolute cum corpore destrui potest.

scit, is ad summam humanam transit perfectionem, et consequenter summa Laetitia afficitur, idque concomitante idea sui, suaeque virtutis, ac proinde ex hoc cognitionis genero summa, quae dari potest oritur acquiescentia.

8) Eth. V. Prop. 52. Beatitudo non est virtutis praemium sed virtus ipsa; nec eadem gaudemus, quia libidines coercemus, sed contra quia eadem gaudemus, ideo libidines coercere possumus. Dem. Beatitudo in amore erga Deum consistit, qui quidem amor ex tertio cognitionis genere oritur, atque adeo hic Amor ad Mentem, quatenus agit, referri debet, ac proinde ipsa virtus est.

9) Eth. IV. Prop. 39 Schol. Sed hic notandum, quod Corpus tum mortem obire intelligam, quando eius partes ita disponuntur, ut aliam motus et quietis rationem ad invicem obtineant. Nam negare non audeam Corpus humanum retenta sanguinis circulatione et aliis, propter quae Corpus vivere existimatur, posse nihilominus in

Est enim in mente aliquid, quod aeterna quadam necessitate per ipsam Dei essentiam concipitur, et hoc ad mentis essentiam pertinens mentis pars ea est, quae necessario est aeterna et in omnibus mutationibus remanet¹⁰).

aliam naturam a sua prorsus diversam mutari. Nam nulla ratio me cogit ut statuum, Corpus non mori, nisi mutetur in cadaver; quin ipsa experientia aliud suadere videtur. Sed ne superstitiosam materiam suppeditem movendi novas quaestiones, malo haec in medio relinquere.

- 10) Eth. V. Prop. 23. Dem. In Deo datur necessario conceptus seu idea quae corporis humani essentiam exprimit quae propterea aliquid necessario est, quod ad essentiam Mentis humanae pertinet. Sed Mentis humanae nullam durationem quae tempore definiri potest, tribuimus, nisi durante Corpore. Cum tamen aliquid nihilominus sit id, quod aeterna quadam necessitate per ipsam Dei essentiam concipitur, est necessario hoc aliquid, quod ad mentis essentiam pertinet, aeternum.

C a p u t q u a r t u m.
De iure doctrina philosophica.

§. 16.

De iure naturali.

Ius naturale complectitur regulas naturae uniuscuiusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipitur ad certo modo existendum et operandum¹¹⁾. Quidquid itaque unusquisque sub solo naturae imperio consideratus sibi utile vel ductu sanae rationis vel ex affectuum impetu iudicat, id summo naturae iure appetere, et quacunque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque alio modo poterit, sibi comparare licet¹²⁾, nihilque secundum ius naturale vetitum

11) Tr. pol. II. §. 4. Per ius itaque naturae intelligo ipsas naturae leges seu regulas secundum quas omnia fiunt, hoc est, ipsam naturae potentiam, atque adeo totius naturae et consequenter uniuscuiusque individui naturale ius eo usque se extendit, quo eius potentia; et consequenter, quidquid unusquisque homo ex legibus suae naturae agit, id summo naturae iure agit, tantumque in naturam habet iuris, quantum potentia valet.

12) Tr. th. pol. XVI. p. 176. Quidquid itaque unusquisque, qui sub solo naturae imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanae rationis, vel ex affectuum impetu iudicat, id

est, nisi quod nemo potest et nemo cupit¹³⁾, peccatumque in statu naturali non datur^{14) 15)}. Uniuscuiusque individui ius naturale eousque se extendit, quo eius potentia¹⁶⁾. Hinc sequitur unumquemque tamdiu alterius esse iuris, quamdiu sub alterius potestate est, et eatenus tantum sui iuris, quatenus vim omnem repellere, damnumque sibi illatum e sui animi sententia vindicare et omnino quatenus ex ingenio suo

summo naturae iure appetere, et quacunq[ue] ratione, sive vi, sive precibus, sive quocunq[ue] demum modo facilius poterit, ipsi capere licet, et consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult, quominus animum expleat suum.

- 13) Tr. pol. II. §. 8 Ex quibus sequitur ius et institutum naturae, sub quo omnes nascuntur et maxima ex parte vivunt, nihil, nisi quod nemo cupit et nemo potest prohibere, non contentiones, non odia, non iram, non dolus, nec absolute aliquid, quod appetitus suadet, aversari.
- 14) Tr. pol. II. §. 18. Ex his perspicuum nobis fit, in statu naturali non dari peccatum, velsi quis peccat, is sibi, non alteri peccat, quandoquidem nemo iure naturae alteri, nisi velit, morem gerere tenetur, nec aliquid bonum, aut malum habere, nisi quod ipse ex suo ingenio bonum aut malum esse decernit, et nihil absolute naturae iure prohibetur, nisi quod nemo potest.
- 15) Eth. IV. prop 37. Schol. II. Existit unusquisque summo naturae iure et consequenter summo naturae iure unusquisque ea agit, quae ex suae naturae necessitate sequuntur: atque adeo summo naturae iure unusquisque iudicat quid bonum quid malum sit, suaeque utilitati ex suo ingenio vindicat. atque adeo in statu naturali peccatum concipi nequit etc.
- 16) vid. citat II. pag. 70.

vivere potest¹⁷⁾. Sed potest quoque aliquis libero arbitrio potestatis suae quantum vult transferre in alium¹⁸⁾. Hinc oritur pactum, quod tamen nullum vim habere potest, nisi ratione utilitatis, qua sublata tollitur et irritum manet^{19 . 20)}.

§. 17.

De origine Imperii sive status civilis.

Uniuscuiusque hominis ius potentia eius determinatur. Haec singuli potentia cum omni-

-
- 17) Tr. pol. II. §. 9. Praeterea sequitur unumquemque tamdiu alterius esse iuris, quamdiu sub alterius potestate est, et eatenus sui iuris, quatenus vim omnem repellere, damnumque sibi illatum ex sui animi sententia vindicare, et absolute, quatenus ex suo ingenio vivere potest.
- 18) Tr. th. pol. Cap. XVI. pg. 179: Verum quia iam ostendimus, ius naturale sola potentia uniuscuiusque determinari, sequitur, quod quantum unusquisque potentiae, quam habet, in alterum vel vi, vel sponte transfert, tantum etiam de suo iure alteri necessario cedere.
- 19) Tr. th. pol. C. XVI. p. 178. Ex quibus concludimus pactum nullam vim habere posse, nisi ratione utilitatis, qua sublata pactum simul tollitur et irritum manet.
- 20) Tr. th. pol. C. XVI. 177. Nam lex humanae naturae universalis est, ut nemo aliquid, quod bonum esse iudicat negligat, nisi spe maioris boni, vel ex metu maioris damni, nec aliquod malum praeferat, nisi ad maius evitandum, vel spe maioris boni Atque haec lex adeo firmiter naturae humanae inscripta est, ut inter aeternas veritates sit ponenda, quas nemo ignorare potest. At ex ea necessario sequitur, neminem absque dolo promissurum, se

um ceterorum potentia comparata, minima est, et unus solus frustra ab omnibus sibi cavere conetur²¹⁾. Si vero duo simul conveniunt, et vires iungunt, plus simul possunt, et consequenter plus iuris habent, quam uterque solus, et quo plures necessitudines sic iungunt, eo plus iuris habent²²⁾. Hoc ius quod multitudinis potentia definitur, Imperium appellatur. Singulus vero quisque potentiam suam transferre potest vel in omnium societatem, vel in paucos, vel in unum. Inde Democratia, Aristocratia, Monarchia oriuntur²³⁾. Contractus tamen seu

iure, quod in omnia habet, cessurum, et absolute neminem promissis staturum nisi ex metu maioris mali, vel spe maioris boni.

- 21) Tr. pol. C. II. §. 15. Cum autem in statu naturali tamdiu unusquisque sui iuris sit, quamdiu sibi cavere potest, ne ab alio opprimatur et unus solus frustra ab omnibus sibi cavere conetur etc.
- 22) Tr. pol. C. II. §. 13. Si duo simul conveniunt, et vires iungunt, plus simul possunt, et consequenter plus iuris in naturam simul habent, quam uterque solus, et quo plures necessitudines sic iunxerunt suas, eo omnes simul plus iuris habebunt.
- 23) Tr. pol. C. II. §. 17. Hoc ius, quod multitudinis potentia definitur Imperium appellari solet. Atque hoc is absolute tenet, qui curam Rei publicae ex communi consensu habet, nempe iura statuendi, interpretandi et abolendi, urbes muniendi, de bello et pace decernendi etc. Quod si haec iura ad Concilium pertinent quod ex communi multitudine componitur, tunc imperium Democratia appellatur, si autem ex quibusdam tantum selectis, Aristocratia, et si de-

leges quibus multitudo ius suum in unum concilium vel hominem transtulit, violari debent, quando communis salutis interest, easdem violari²⁴⁾.

§. 18.

De iure summae potestatis contra
cives.

Cui summa potestas, sive unus sit, sive pauci sive denique omnes, concessa est, huic summum ius, quicquid velit, imperandi competit²⁵⁾, quod non nisi metu et reverentia circumscribitur²⁶⁾. Hoc ius consistit in eo, quod solus decernit, quid bonum, quid malum, quid aequum, quid iniquum, hoc est, quod singulis vel omnibus simul agendum sit, vel omittendum: ei competit leges condere easque inter-

nique Reipublicae cura et consequenter imperium penes unum sit, tum Monarchia appellatur.

24) Tr. pol. C. IV. §. 6. Contractus seu leges, quibus multitudo ius suum in unum Concilium, vel hominem transfertunt, non dubium est, quin violari debeant, quando communis salutis interest, easdem violari.

25) Tr. the. pol. C. XVI. pag. 181. Nam, quisquis summam habet potestatem, sive unus sit, sive pauci, sive denique omnes, certum est, ei summum ius quicquid velit imperandi competere.

26) 2. Tr. pol. IV. §. 4. . . . Civitas itaque ut sui iuris sit, metus et reverentiae causas servare tenetur, alias civitas esse desinit.

pretari, et, si necessitas poscit, immutare²⁷⁾. Et non civilium tantum rerum auctor est, sed res sacrae eodem modo ab eo pendent; et Religionis cultus et pietatis exercitium summis potestatibus ita determinare licet ut Reipublicae paci et utilitati prosint²⁸⁾. Summa potestas denique omnes pro hostibus habere potest, qui secum in omnibus non absolute conveniant, sed, quamvis jure violentissime regnare licet, et cives levissimis de causis ad necem ducere, utilitatis tamen ratio poscit, ut potentiae concessae vis comparetur cum non concessae viribus ceterorum²⁹⁾.

27) I. Tr. pol. C. IV. §. 1. Ius summarum potestatum, quod earum potentia determinatur, in praec. Cap. ostendimus, idque in hoc potissimum consistere vidimus, nempe quod imperii veluti mens sit, qua omnes duci debent, adeoque solas ius habere decernendi, quid bonum quid malum, quid aequum, quid iniquum, hoc est, quid singulis vel omnibus simul agendum, vel omittendum sit, ac proinde vidimus iis solis ius competere leges condendi easque, quando de iis quaestio est, in quocunque singulari casu interpretandi et decernendi, an datus casus contra vel secundum ius factus sit etc.

28) Tr. th. pol. Cap. XIX. p. 214. Et praeterea quod religionis cultus et pietatis exercitium reipublicae paci et utilitati accommodari, et consequenter a solis summis potestatibus determinari debet, quaeque adeo eius etiam interpretes debent esse.

29) Tr. th. pol. Cap. XX. p. 226. Verum quidem est, eas iure posse omnes, qui cum iisdem in omnibus absolute non sentiunt, pro hostibus habere; sed nos de ipsarum iure non dispu-

De iure civium privato.

Ius civile privatum est uniuscujusque libertas ad sese in suo statu conservandum summae potestatis edictis determinata, ejusque sola auctoritate defensa³⁰⁾. Unusquisque enim vel ex libero animo vel metu summi supplicii tenetur, ut summis potestatibus pareat³¹⁾. Civi

tamus, sed de eo, quod utile est. Concedo enim easdem iure posse violentissime regnare, et cives levissimis de causis ad necem ducere, at omnes negabunt, haec salvo sanae rationis iudicio fieri posse: imo quia haec non sine magno totius imperii periculo facere possunt, negare etiam possumus easdem absolutam potentiam ad haec et similia habere, et consequenter neque etiam absolutum ius; ius enim summarum potestatum ab earum potentia determinari ostendimus.

30) Tr. th. pol. C. XVI. p. 182. Per ius enim civile privatum nihil aliud intelligere possumus, quam uniuscuiusque libertatem ad sese in suo statu conservandum quae edictis summae potestatis determinatur, solaquae eiusdem auctoritate defenditur.

31) I. Tr. pol. C. III. §. V. Videmus itaque unumquemque civem non sui, sed civitatis iuris esse, ejus omnia mandata tenetur exsequi, nec ullum habere ius decernendi quid aequum, quid pium, quidve impium sit, sed contra, quia imperii corpus una veluti mente duci debet, et consequenter civitatis voluntas pro omnium voluntate habenda est, id quod civitas bonum et iustum esse decernit, tanquam ab unoquoque decretum esse censendum est: atque adeo, quamvis subditus civitatis decreta iniqua esse censeat, tenetur nihilominus eadem exsequi.

quoque non licet civitatis decreta sive jura interpretari³²⁾. Quum tamen societatis finis sit pax securitasque singulorum³³⁾, licebit civibus talia condere instituta, quibus tuti sint, ne a summa potestate prorsus opprimantur³⁴⁾. Praeterea dantur jura, quae nemo, qui homo esse non desinit, in alium transferre potest, jus naturale videlicet,³⁵⁾ sive libera ratiocinandi facultas et de rebus quibuscunque judicandi³⁶⁾. In libera igitur civitate unicuique licere debet et sentire quae velit et dicere, et hoc jus salva Republica unicuique concedi potest³⁷⁾.

32) Tr. pol. C. III. §. 4. Praeterea concipere etiam non possumus, quod unicuique civi liceat Civitatis decreta seu iura interpretari.

33) Tr. pol. C. V. §. 2. Qualis autem cujuscunque imperii sit status, facile ex fine status civilis cognoscitur; qui scilicet nullus alius est quam pax vitaeque securitas.

34) Tr. pol. Cap. VI. §. 3. Quod fit, si imperii res ita ordinentur ut nihil quod ad communem salutem spectat, ullius fidei absolute committatur.

35) Tr. th. pol. Cap. XVII. p. 187. Nam nemo unquam suam potentiam, et consequenter neque suum ius ita in alium transferre poterit, ut homo esse desinat. Quare concedendum, unumquemque multa sibi sui iuris reservare quae propterea a nullius decreto sed a suo solo pendent.

36) Tr. th. pol. Cap. XX. p. 226. Si itaque nemo libertate sua iudicandi et sentiendi, quae vult, cedere potest, sed unusquisque maximo naturae iure dominus suarum cogitationum est, etc.

37) Tr. th. pol. C. XX. p. 225. Ostenditur, in Libera

De iure publico quo civitates inter se tenentur.

Duo imperia inter sese ita se habent uti duo homines in statu naturali.³⁸⁾ Unum quodque igitur tantum iuris habet, quantum potentiae, eatenus sui iuris est, quatenus sibi consulere et cavere potest, ne ab alio opprimatur, eatenus alterius iuris, quatenus alterius civitatis potentia tenetur.³⁹⁾ Civitas quaeque in omnibus nihil sequitur nisi propriam utilitatem; propterea licet inferre bellum, quandoquidem, ut bellum geratur, sufficit, eius rei habere voluntatem.⁴⁰⁾ Foedera quoque inita

Republica unicuique et sentire quae velit, et quae sentiat dicere licere.

- 38) Tr. pol. C. III. §. 11. Nam quandoquidem Ius summae potestatis nihil est, praeter ipsum Naturae ius, sequitur, duo imperia adinvicem sese habere ut duo homines in statu naturali, excepto hoc, quod Civitas sibi cavere potest, ne ab alia opprimatur, quod homo in statu naturali non potest.
- 39) Tr. pol. C. III. §. 12. Civitas igitur eatenus sui iuris est, quatenus sibi consulere et cavere potest, ne ab alia opprimatur etc.
- 40) Tr. pol. C. III. §. 1. Homines enim in statu naturali hostes sunt. Qui igitur ius extra civitatem retinent, hostes manent. Si itaque altera Civitas alteri bellum inferre et extrema adhibere media velit, quo eam sui iuris faciat, id ei iure tentare licet, quandoquidem ut bellum geratur, ei sufficit eius rei habere voluntatem.

tamdiu fixa manent, quamdiu causa foederis pangendi, nempe metus damni seu lucri spes in medio est, hac autem aut illo civitatum alterutri adempto, manet ipsa sui iuris. Unicuique igitur civitatum ius integrum est solvendi foedus quodocunque vult, nec dici potest, eam dolo vel perfidia egisse ⁴¹⁾.

-
- 41) Tr. pol. C. III. §. 14. Hoc foedus tam diu fixum manet, quam diu causa foederis pangendi, nempe metus damni seu lucri spes in medio est; hac autem aut illo civitatum alterutri adempto manet ipsa sui iuris, et vinculum, quo invicem adstrictae erant, sponte solvitur, ac proinde unicuique civitati ius integrum est solvendi foedus quodocunque vult, nec dici potest, quod dolo vel perfidia agat, propterea quod fidem solvit, etc. etc.
-

Corrigenda

Table with 2 columns: Page number and Title. The text is mirrored and difficult to read, but appears to be a list of entries.

78	3 nam quod - I. unumquod
77	7 potest - I. potest
74	13 quod - I. quod
73	10 societas - I. societas
72	4 nullam - I. nullam
61	1 (1) - I. (1)
53	3 in - I. in
52	10 Res - I. Res
51	8 alia - I. alia
47	7 explicatio - I. explicatio
31	10 equus - I. equus
30	3 historia - I. historia
23	3 motus - I. motus
14	4 Substantia - I. Substantia
13	1 prope - I. prope

Corrigenda.

- Pag. 13 lin. 1 prorro l. porro.
— 14 — 4 Substanita l. Substantia.
— 22 — 3 motut argentibus l. motu tangentibus.
— 30 — 8 historiae l. historiam.
— 34 — 10 eques l. equus.
— 47 — 7 cxplicato l. explicato.
— 51 — 8 alliis l. aliis.
— 52 — 10 Ess l. Esse.
— 53 — 2 in haerentem l. inhaerentém.
— 64 — 4 ^{91 91)} l. ^{90. 91)}
— 72 — 4 nullum l. nullam.
— 73 — 10 socieatem l. societatem.
— 74 — 14 quod l. quid.
— 77 — 7 qotest l. potest.
— 78 — 5 unum quod- l. unumquod-.
-
-

107622

79. 6

Philosophie
(Psychologie)

1	proo. h. poro.	13	—
4	substantia h. substantia.	14	—
3	motus argentibus h. motu argentibus.	22	—
8	historia h. historia.	30	—
18	opus h. opus.	34	—
7	explicato h. explicato.	47	—
8	alitis h. alitis.	51	—
10	has h. has.	52	—
3	in haerentem h. inhaerentem.	53	—
4	et h. et.	61	—
4	nullum h. nullum.	72	—
10	societatem h. societatem.	73	—
11	quod h. quod.	74	—
7	potest h. potest.	77	—
5	unum quod h. unumquod.	78	—

